



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis**

**Balbín, Bohuslav**

**Pragæ, 1664**

De Vita Venerabilis Arnesti, Primi Archiepiscopi Pragensis. Liber IV.  
Idémque Ultimus. Qui Antistitis Optimi Virtutes complectitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42763**

De Vita Venerabilis Arnesti,  
Primi Archiepiscopi Pragensis.

LIBER IV. Idémque Ul-  
timus,

Qui

*Antistitis Optimi Virtutes complectitur.*



Xtremus hic Liber, noto  
jam apud eos, qui clarorum homi-  
num Vitam scripserunt, exemplo, vir-  
tutes, aut potius quædam earum im-  
pressa vestigia ostendet, summamque  
conficiet ex ijs, quæ *Arnestum* DEO,  
& Cœlestibus amabilem, Pontificibus  
Summis, Cæsaribusque ac Regibus  
Venerabilem, Populis denique admi-  
rabilem præstiterunt. Fateor iniquo in loco Laborem huic me-  
um omnem versari; non enim, ut alij ante me Scriptores, nuper  
T t gestâ,

Difficile est  
tam remota  
à sæculis no-  
stris scribere



gesta, sed longè ab omnium viventium, atque etiam historiarum propè memoriâ, à trecentis annis remota & sepulta scribo, ut quod Antiquitas, avarâ & senili, ut solet, manu, in vetustis Codicibus porrigit, id in maxima beneficij parte, manu relatâ, reponere, & quod rejecit, mille gratijs prosequi oporteat. Accedit etiam illud, priore non minus, incommodum, quòd ejus Virtutes describendas susceperim, qui inter Virtutes eam maximè sibi colendam esse putavit, & coluit, quæ cæteras omnes virtutes ab-

Pierius lib. 2.  
hieroglyph.

1. Petri 3.

D. Ambrosius  
l. 4. Epist. 27.

Arnestus  
summus vir-  
tutum occul-  
tator, & hu-  
militatis ar-  
tifex.

scondit. Itaque nihil ultro præferbat, nulli sese penitus dabat noscendum *Arnestus*, ac velut Magnanimus *Leo*, ipsemet omnia suarum Virtutum proterebat ac debebat vestigia, ut verè *absconditus Cordis homo* (qui loquendi modus, *S. Petro* placuit) posset appellari; quod explicans D. Ambrosius: *pulchrè Cordis hominem Petrus dixit, eò quòd totus Sipientia sit, absconditus sicut ipsa Sipientia, quæ non videtur, sed intelligitur. Nemo ante Petrum tali expressione usus est, ut diceret Cordis hominem; exterior enim homo plurima in se membra habet; interior autem cordis homo totus Sipientia est, plenus gratia, plenus decoris.*

Unum inter hæc scribenti solatium est: quòd eâ ætate scribo, quæ non modò scientias omnes ad invidiam priorum saculorum, sed etiam virtutes, earumque naturam subtiliter definire, partiri, æstimare, & pretium cuique imponere possit. Ucinam ad imitationem tantum diligentia, quantum curiositatis ad virtutem adferremus!

Horat.

*Venimus ad summum Fortunæ (doctrinæ) pingimus, atq;  
Psallimus, & luctamur Achivis doctius undis.*

Agell. l. 1. C. 1.

Jam Pijs, & virtutis amorem professis hominibus (quos ego lectores meos ante omnes esse cupio) quid ego laborem hunc meum commendem? Huic hominum generi vestigium ostendere, virtutis satis est, cætera metiuntur de suo. Sic olim *Pythagoras*, viso vestigio *Herculis*, ut habet *Agellius*, collegit, quantum *Hercules* corporis magnitudine & proceritate, cæteros mortales superârit. Agant igitur isti, & priores illi, quod agunt, paucaque hæc *ex aureo* Majorum nostrorum *seculo vestigia*, honorent, & imitentur, sin minùs, metiantur. Mj



# Mira animi demissio in Arne- sto, & Christiana Virtus Humilitatis.

## CAPUT I.

**A**B Humilitate, quæ in Academia Virtutum prima docet rudimenta & elementa, quam *Mundi Magister Christus*, advocato in medium *parvulo*, ad pudorem Scholæ Apostolicæ, docuit, incipiamus. Eam verò tanto studio, tantâque diligentia didicit *Arnestus*, ut hæc una virtus omnes cæteras velut nûbe tegetet, & ut ita loquar, devoraret. Latere summum illi studium, & velut de croco *Plinius* scripsit: *calcari & atteri pede, pereundôq; latius provenire gaudebat*. Quantâ mortales alij cupiditate in honores, tanto ille in sui contemtionem amore ferebatur. Itaque etiam Archiepiscopatum exuere aliquoties tentavit, cûmque id per *Summos Pontifices* non posset, in Imaginibus tamen suis, ut solatium aliquod Virtus haberet, pingi jubebat, dicebatque cum D. Hieronymo: *Si Dominus mihi optionem daret, multô magis eligerem tunicam Pauli cum suis meritis, quàm Regum Purpuram cum pœnis*. Purpuratorum Ecclesiæ Patrum Collegio adscriptus *Arnestus*, defendit primùm contra honorem sese, deinde cûm id non procederet, *Titulum* tanto silentio suppressit, ut brevî pòst morte secutâ, penè omnes fefellerit; nullum certè Purpuræ indicium post se reliquit. *Multos Libros* scripsisse, multâque commentatum esse, ut erat elegantis doctrinæ Vir, tradunt Historici: perière omnia; quæ, si nomen addidisset suum, & prædicare & spargere labores suos voluisset, hodie forsitan legerentur. Nec libro illi pulcherrimo, quem

Argumentâ  
summæ hu-  
militatis in  
VEN. Arne-  
sto.

I.

(1, 2), hist. Nat.

In Vita Pauli  
I. Eremita.

II.

III.

T r z.

quem



quem de *Excellentijs DEI Matris MARIE* scripserat, nomen adjecit. Lituris tantum & Insignibus, aliisque; conjecturis adducti, suspicamur potius Authorem, quam sciamus. *Vrsarum* ea in re, foeturam imitatus videtur, quas parientes nemo unquam mortaliū vidit, ut docet *Aristoteles*.

IV. Nobilitate, ingenio, longo litterarum cultu, rerum usu, honoribus Aularum, Legationibus Pontificum ac Caesarum cum laude obitis, clarissimus; apud Pontifices Avenione ac Romæ versatus, Archiepiscopus, Summi Pontificatus Candidatus, Caesarum Minister, Princeps, Regum coronator, in Ecclesia universa Præsul divinæ Legis observantissimus (quo postremo titulo Curia Romana insignivit *Arnestum*) is tamen edito & sparso in vulgus scripto: *se inter peccatores præcipuum, Canem fœtidum* appellat, & *manus suas sanguine peccatorum repletas*. Quis non exhorrescat? hæc vulgari, & ad concionem populi per totum Regnum legi iussit, & additis etiam Indulgentijs, quoties hæc de se legissent. Tanta erat illi ex humilitate voluptas! In cæteris virtutibus lætari, non contemnendum profectum significat, ac gaudere in contemptu & humiliatone, ut loquimur, id verò perfectissimæ, absolutissimæq; virtutis certum indicium est.

Tituli, quos  
sibi ipse Ar-  
nestus dedit.

V. Nunquam sedendo ad gravitatem, etsi Archiepiscopus, audiebat quemquam; sed *omnibus pauperibus*, ait Vitæ vetus Scriptor, *juxtâ ac divitibus pio vultu, sed humiliori corde, publicè in Palatio, & domi privatim, audientiam dabat, benigne & ceu agnus mansuetus stando, oculis & manibus compositis, necessitatibus singulorum materno affectu subveniens*. Optabile spectaculum hanc sancti viri modestiam intueri! nimirum (ut idem loquitur) *tamò erat corde humilior, quam ò se conspiciebat, gradu altiore fulgere*.  
VI. *Si quem quandoq; de minimis familia sue, verbo quantumvis levi, se credidit offendisse, ab eo verbis nimis humilibus (ita manuscriptus Codex) veniam postulabat, dicens se ex ira id, superbiâ, aut arrogantia perpetrâsse.*

VII. Nescio unde tandem accidat, ut *Viri Sancti* quodam sui, resūque suarum odio occupati, sæpe illa se fecisse credant, quæ  
cæle.



coelesti gratiâ ad vincendum instructi, fortasse nec facere potuerunt. Sanctum hoc odium in omnibus *Arnesti* factis & dictis elucet; legantur ea, quæ de se moriens scripsit, libro primo recitata; tum notentur ea, quæ de ejus morte Scriptores commemorant: *summâ contritione cordis*, ut loquuntur, & *dolore de peccatis mortuum*, ut si eâ pœnitentiâ, inter tot virtutes eguisset; qua in re certum mihi est, *D. Augustinum*, quem inter sanctos Præsules venerabatur maximè, imitari morientem voluisse, quasi ex recenti flagitio extractus, nunc primùm pœnitentiâ placare iratum DEVM vellet. Sanctis viris semel peccasse, peccasse semper est; peccatum suum ante se ferunt, idque etiam apud Sanctos quodammodo crescere solet; quantò scilicet propiùs accedunt ad DEVM, atate contemplationis & virtutis. His tamen omnibus Humilitatis artibus tantum abest ut *Arnestus* contemptum, quem quærebat, inveniret, ut etiam, quod timebat maximè, irritaret honores. Neq; enim ex quæsito contemptu & pudore, contemptus & pudor, sed gloria & decus nasci solet. Animadvertit istud *D. Ambrosius* in mirabili illo, & triumphali Christi in coelos ascensu: *Trophæa Crucis*, inquit, *Angeli intuentes, quasi eum, quem miserant, Cæli porta capere non possent, majorem viam querebant, revertenti. Adeò nihil exinanitus amiserat! ideo tolli portas principibus imperabant, cum admiratione dicentes: tollite portas Principes vestras, & elevamini porta aeternales!*

Hagk 1364.  
Chron. M. S.  
Vita M. S.

Humilitas in  
Arnesto ho-  
norata.

L. 4. C. 30.  
que latius ex-  
plicat idem S.  
Doct.

Hujus porò, de qua loquimur, Virtutis novam quandam rationem conservandæ *Arnestus* invenit. Nam, ut vitæ Scriptor tradit: à primo electionis tempore usq; ad obitûs sui diem (quanta unius virtutis, & quàm diuturna cura, annis duobus & viginti) in quodam libello omnes suos defectus speciales propriâ manu describebat. Hunc librum terebat in manibus, velut servus fidelis Domino suo rationes reddere paratus; hæc deflebat quotidie, hoc se studio adversus omnem gloriæ apparatus muniebat; noscere seipsum, aliena habere pro suis, & benignè interpretari discibat. Sæpe enim foris lynces, domi (veteri verbo) talpæ fumus.

VIII.

Arnestus  
quotidie suos  
defectus  
annotat in  
libello.

T. 3

Peras



Thædrus Au-  
gusti Casari  
libertus. Fab.  
62. edidit li-  
brum Nic. Ri-  
galium.

*Peras imposuit Iuppiter nobis duas ;  
Proprijs repletam vitijs post tergum dedit,  
Alienis ante pectus suspendit gravem.  
Hâc re videre nostra mala non possumus :  
Alij simul delinquant, Censores sumus.*

Ita verissimè cecinit Augusti libertus. At Arnestus, virtutis studio-  
sissimus, invertit, & sua ante se vitia perpetuo dolore, aliena  
multâ caritate post se ferebat.

Quædam meliores VENERA-  
BILIS ARNESTI de Humilitatis Virtute  
sententiæ, ex Libro Mariali de  
Excellentijs Divæ Virginis  
decerptæ.

## CAPUT II.

Quàm demissè de se semper Arnestus senserit, quantumq;  
Humilitati tribuerit, pauculis ejus sententijs in exem-  
plum adductis, demonstrabo. Illud universim dici po-  
test, quoties superbiæ fit mentio, toties sancto quodam  
furore, ut observavere multi, corripit & inardescere. Capite  
libri octavodecimo sic sese alloquitur: *quid superbis terra & Ci-  
nis? ò pellis turgida, & vesica inflata, atq; in puncto crepatura, & ad  
infernus descensura! quâ fronte te audes in conspectu Altissimi, vel*  
majo-

cap. 12.

Furor humi-  
litaris in Ar-  
nesto.



majori vel minori, vel circumquaq<sup>3</sup>, quomodolibet comparare, cum omnes gentes quasi stilla situla, & quasi momentum statera, sic sint coram illo?

Quoties Arnestus durum cor, & Cervices suas ferreas accusavit? Gradus verò Humilitatis hosce septem ponebat Arnestus: I. Gradus est cognoscere contemptibilem se esse. Est enim, ut dicit Bernardus, humilitas virtus, quâ quis sibi ex verissima sui cognitione vilescit; & hic est primus gradus. Sed multi & culpas suas & defectus vident per intellectum, qui nullum aut modicum inde sensum doloris habent per affectum; & ideo secundus gradus est: corde contrito & humiliato de sua pravitate (quæ sola contemptibilem illum facit) dolere. Ex hoc sequitur tertius gradus: quia qui verè conteritur, & iniquitatem odio habet, & abominatur, mulrùm illam evomere festinat, & se per Confessionem purgare. Sed sunt multi, qui suos defectus in occulta confitentur, & in manifesto abscondunt; ideo quartus gradus est: alijs seipsum ostendere, & persuadere talem, qualem intus senserit. Sed rursus sunt nonnulli, qui coram omnibus sæpe dicunt se pauperes, miseros & contemptibiles, & ad nihil utiles; & tamen si eis diceretur: verè vos verum dicitis, offenderentur usque ad mortem; ideo quintus gradus est: patienter audire, ut contemptibilis dicatur. Verùm quia, ut dicit Bernardus, gloriosa res est Humilitas, quâ etiam ipsa superbia palliatur, sic appetit, nè vilescat: nam & quidam sua interdum peccata, & libenter fatentur, & patienter audiunt, ut ex hac ipsa humilitate ampliùs honorentur. Mira, inquit, insania, ut non possis reputari sanctus, nisi appareas sceleratus; ideo sextus gradus est, patienter sustinere, ut contemptibiliter tractetur. Septimus autem gradus: quando non modò patienter tolerat, sed amanter desiderat, ut contemptibiliter tractetur. Hæc est perfecta cordis humilitas! hæc est vera Spiritus paupertas, &c. Istum fructum Beatus Iob vocat mentis Convivium, ubi dicit: quòd filij, id est, septem dona Spiritus sancti, faciebant convivium, unusquisque in die suo, id est, beatitudine sibi appropriatâ.

Jucun-

C. 3.

C. 48.

Gradus Hu-  
militatis  
juxta Arne-  
stum.

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

Iob, C. x.



C. p. *Marinū.*Arnestus  
quantū hu-  
militatem in  
DEI Matre  
commendet.

Nota.

Jucundum erit forsitan audire, quid de Matris DEI humili-  
tate senserit *Arnestus*, & quàm tenero affectu Matrem suam ex-  
cusarit: *Fili! quid fecisti nobis sic? pater tuus & ego.* Ecce, inquit,  
quomodo pudicissima Turtur se humiliat! virum suum exaltat!  
non dicit ego & Joseph, vel ego & vir meus, vel Joseph & ego,  
sed, pater tuus inquit & ego. *Pendè mentita est amore humilitatis.*  
Nōne contra conscientiam hoc dicebatur? nōne ipsi Filio DEI,  
& Patri DEO injuriam faciebat? sed vera humilitas singularita-  
tem detestatur semper, & fugit; Communitatem amplectitur &  
tenet. Unde *MARIA* ita loquitur, non sicut ipsa singulariter  
sentiebat, sed sicut noverat ipsam veritatem velle de se com-  
muniter ab alijs sentiri.

Hæc pauca de Humilitate sufficiant; vestigium enim, non  
effigiem Venerabilis *Arnesti* promisi.

## Orationis & Meditationis cœ- lestis diurnum, ac nocturnum in Arnesto Archiepiscopo studium.

### CAPUT III.

In Oratione  
maximum  
ad virtutem  
præsidium.

**N**ullum ad virtutem præsidium cœlesti Oratione poten-  
tius habetur: siquidem *gratiâ DEI sumus id quod su-  
mus*; quæ gratia in illo arcano cum Divinitate con-  
gressu præcipuè communicatur. Ut enim Exercitus  
angelici, in certa agmina distributi, cœlestes suas influentias per-  
cipiunt, sic animæ sanctæ ante thronum invisibilis DEI stantes,  
gratiæ stillis & micis, quæ cadunt de mensa Dominorum, imple-  
tur.



tur, ut non immeritò hâc rerum similitudine ductus D. Ambrosius, Orationem, & in DEI laudibus occupationem, Angelorum militiam appellârit. Prima apud VEN. Arnestum orationi Auctoritas, primus amor: Manè primo, quid manè dixi? à nocte media, nè inimicus humani generis, ait M. S. inveniret dormientem, Sacerdotibus & Capellanis advocatis, officium divinum & Beatissimæ Virginis, distinctâ voce legebat, atq; his cubitum recedentibus, Arnestus meditationi, aut lectiōni rerum celestium se dabat, ut pasci pietate hâc suâ videretur; nam hic Orationis cibus, ut ait D. Ambrosius, multâ attritus meditatione ac politus, Cor hominis, sicut illud celeste Manna, confirmât; quod non otiosè tritum ac pelitum, accipimus, eò quòd celestium scripturarum alloquia diu terere, ac polire debemus, toto animo & corde versantes, ut succus ille spiritualis cibi in omnes se venas animæ diffundat. Si erat, pergit manuscriptus Codex, Missam officiantur in manè, suspirijs & crebris singultibus dabat se in lacrymas. Neque mirum, post tot motus cordis Arnestum exantillasse lacrymas, quæ ei dum sacrificaret, ut observat Hugecius, effluebant, & velut gemmæ cadebant ex oculis. Fælices lacrymæ! cœli margaritæ! vinum Angelorum! magna peccatorum spongia, ut eas vocat D. Chrysostomus! vos ipse abstergit ab oculis Sanctorum DEVS, & in conspectu suo, atque ut Hebræi legunt, in Theauris suis, reponit!

In Glacæ, verba sunt ejusdem vetusti Scriptoris, Cellam sibi in Cœnobio exstruxerat Venerabilis Pater, ubi interdum clam veniens, unò tantùm familiari contentus, Romam se fingens abiisse, per longa dierum spatia lavitans, in DEI & Beatissimæ Virginis MARIE, cui sedulum exhibebat officium, contemplatione persistens, matutinali tempore unicus visitabat Ecclesiam. Et ut posset in ipsius DEI, & Beatae ejus Genitricis laudibus liberiore animo perdurare, valedicere honoribus, & religiosam vitam sequi cogitabat. Oratorijs domesticis præcipuè, quorum multus apud sanctissimos Viros usus, delectabatur, ideòque cum conderet Arces Arnestus, hujus rei ante omnia curam habebat. Ex hujusmodi Oratorio in Arce Præbramensis Statua Beatissimæ Virginis, quæ nunc in S. Monte colitur,

I. 3. Epist. 26

I.

Orationis  
studium in  
VEN. Arne-  
sto.L. 2. de Abel &  
Cain. C. 6.

M. S. Vitis

II.

Oratio Ar-  
nesti lacry-  
mosa.

Hægek A. 1164

Basil. Orat. de  
lacrymis Mag-  
dalena. Bern.  
in Cant. Chry-  
sost. in Ps. 50.

Apoc. 7.

Psalmo 55.

III.

Oratio Arne-  
sti solitudi-  
nem quere-  
bat.

Sevar. in C. 8.

Indith.



tur, ortum habet; deditque id Matris suæ honori (fortassis etiam *Arnesti Pietati*) DEVS, ut hæc ipsa, quam coluit, Imago miraculis celebretur.

IV. *Cum Missam audiret, ut vitæ brevissimus ille Scriptor narrat, in Libro ante ipsum per Capellæ Clericum tento, cum Prælati, & Clericis totum officium Missæ legebat, & postea de Beata Virgine ordinatis & morosis accentibus ruminabat, nullisq; tunc, quando Missam audiebat, vel etiam ante Missam cum eo, etiam de suis proprijs negotijs, loqui poterat.* Jaculatorijs, ut appellamus, Orationibus religiosè deditus erat, illud in Aulis necessarium, frequentissimè habebat in ore: *Pone Domine custodiam ori meo! Neve*

V. *M. S. Vita.*

putes dicis gratiâ, aut per consuetudinem egisse, indice digito ori appposito, seipsum prudentiæ, morumque cœlestium admonerat.

VI.

*Baron. A. C. 31.*

*Orantis Arnesti situs.*

Jam inde ab Apostolicis temporibus ad preces prostrerni, totòque vultu ac corpore abjecto humi, divinitatem conceptis verbis adorare, Viri sancti sunt soliti; idem *Præsul Optimus* agebat sapissimè, & cum eum in lecto Archiepiscopali cubare Cubicularij Clerici crederent, ipse stratus in storea, ante lectum, in Oratione DEI pernoctabat. Ut Phœnix avis unica terris, ex thure & balsami fructibus, aliisque gratis odoribus

*Claudian.*

*Componit tumultumq; sibi, thalamumq; futurum;* sic *Arnestus* in ipsam Orationem & preces, quæ sunt odoramenta & compositio sanctitatis, cadebat & capiebat quietem, quod postea solenne *D. Xaverio* fuisse, in ejus Vita legimus. Angustia illæ loci, solitudo, cadentia sidera, silentium, nox & Amor, quid aliud cœlestibus viris suadeant, quàm cœlum, & amare? vel imitatione Infantis Jesu, quem in utero sanctissimæ Matris, ipsis IX. mensibus, aliud nihil Patri præstitisse, quàm Orationem, *Alvarus de Paz* noster, ingeniosè observavit. O negotiosum otium, & omnibus laboribus pretiosius! Hoc exemplo quotannis unum seponebat mensē *Arnestus*, & famâ sparsâ abiisse in suis, aut Cæsaris negotijs, id tempus omne in obsequio Divinæ Matris consumebat. *Cujus majora negotia, ait S. Ambrosius, quàm Moysis, qui quadraginta diebus in monte totam legem complexus est? cum taceret, clamabat;*

*Apud Inrsel- lin.*

*Oratio Arnesti nocturna.*

*Tomo 3. de Perselt. lib. 1. P. 1. C. 3. ex S. Cyprian. & Chryost.*

*Lib. 3. de offic. C. 1.*



habat; cum otiosus staret, praliabatur. Adeo otiosus, ut manus ejus alij sustinerent, nec minus quam cateri negotiosus, qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterant vincere, qui dimittabant. Nimirum, non perditur, quod Deo donatur, felicemq; illam Arnesti Orationem fuisse, felix Reipublicæ, Regni, & Pragensis Ecclesiæ status ostendit.

Adducuntur quædam VENERABILIS ARNESTI sententiæ, ex quibus perfectissima, & coelestia meditando ratio, quam tenebat, apparet.

## CAPUT IV.

**B**eatissimam DEI Matrem, dum JESVVM in cunas componit, loquentem alicubi induxit: *Scriptum est: MARIA conservabat omnia verba hac conferens in corde suo, dicens: nonne iste est, qui ponendus est in signum, cui contradicetur? nonne ista sunt manus, isti pedes, de quibus scriptum est: Psa. 118. foderunt manus meas, & pedes meos? nonne istud est pectus, de quo dicitur: ferrum pertransiit animam ejus, & ideo viderunt, in quem transfixerunt? Fili, dulcor unice! singulare gaudium, quid hoc audio de te? quis mihi det, ut ego moriar pro te Fili mi IESV? IESV Fili mi? &c.* Idem propè alijs verbis Capite 100. expressit. O quam Beati amplexus, &c.

Quanto verò affectu Orationis necessè fuit illa concipi & scribi! O bone IESV! pyssime & dulcissime, qui solus nosti unguenta sanitatis, & pigmenta suavitatis perfectè conficere, si tibi placet ad hos centum & quinquaginta atomos (sic appellat 150. Libri Capita)

Vv 2

quos.



quos habemus in manibus, manum apponere, & in tenuissimum pulverem universa redigere ad laudem & gloriam gloriosissime Matris Tuæ? confido in te Domine, quod pulvis iste de laudibus Virginis multum adhuc fieri poterit efficax ad sanitatem animæ languentis, & sanitatem te amantis. Vide in his singularem quandam cum Divina Majestate familiaritatem!

*al. suavitatem te amantis.*  
*C. 59.* Orationem nocturnam, DEI Matris exemplo, didicisse videtur *Arnestus*, de qua sic loquitur: In omnibus plateis seu affectibus Beatæ Virginis erat planctus. Hoc erat in tempore, quando consurgebat in nocte, in principio vigiliarum, & levabat manus suas ad Dominum pro animabus parvulorum suorum, qui deficiebant, quando vulnerati per peccatum primi hominis in plateis Civitatis, & fame peribant in capite omnium platearum.

*C. 78.* Vulnera JESU Crucifixi altè in *Arnesti* animum descendunt; legantur ea, quæ in illud Jerem. 48. scripsit: Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. Huc etiam illud, de *C. 80.* Matre DEI sub Cruce stante, pertinet: Fuit JESVS Rex noster pauper in ingressu, pauperior in progressu, pauperrimus in egressu; tunc enim nudatus ope & opibus, vestibus & amicis, nihil habebat omnino, præter oviculam unam, id est, dilectam Matrem suam, &c. pulcherrima sunt quæ sequuntur, sed nè cui tadium pariam, omitto.

## Præstantissimus Modus, Coronam DEI Matris orandi, à VEN. Arnesto traditus.

### CAPUT V.

*C. 757.* **D**Escribam *Præsulis Optimi* verba, cum eorum claritatem & efficaciam exprimere ipse non possim. Nos, ait VEN. *Arnestus*, cum muliercula illa (qua dixit: *Beatus vener*



ter qui te portavit, & ubera qua suxisti) studeamus laudare, predicare & benedicere, ac beatificare non solum uterum aut verba nutricis nostrae MARIÆ; sed omnia & singula membra ejus; cui non sufficit & in cantico amoris, & in plerisque alijs scriptura locis, ipsam simpliciter commendare, nisi per partes, ad singula membra ejus, à planta pedis usq; ad verticem, secreta quadam & mirabilia adjungat preconia singillatim. V. g. Tota pulchra es amica mea, inquit, & macula non est in te. Caput tuum ut Carmelus, coma capitis tui sicut purpura Regis juncta canalibus. Et iterum: murenulas aureas faciemus tibi. Item de oculis: oculi tui columbarum. Et iterum: oculi tui sicut piscina in Hesbon. Item de auribus: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & protulit vir <sup>Tsal. 44. & Gen. 24.</sup> in aures argenteas, &c. Item de genis. Pulchra sunt gena tue sicut tureuris. Et iterum: sicut fragmen mali punici, ita gena tua. Item: sicut vitrea coccinea, labia tua. Item: dentes tui sicut greges consarum; & Favus distillans labia tua; mel & lac sub lingua tua. Item: guttur tuum vinum optimum. Item: Nasus tuus sicut turris Libani, &c. Item: Vox tua dulcis, & facies tua decora. Item: Collam tuam sicut turris David. Item: duo ubera tua, sicut duo gemelli binnuli caprea. Item: Venter tuus sicut acervus tritici. Item: umbilicus tuus crater tornatilis. Item de muliere forti: Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Item ipsa dicit: Manus mea distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ. Et alibi: Manus suas aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Item: junctura femorum tuorum sicut monilia. Item alibi: ad ubera portabimini, & super genua blandietur vobis. Item alibi: Columnæ aurea super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Ecce quàm diligenter iste bonus alumnus à planta pedis usq; ad verticem Capitis in ipsa Matre, atq; amica charissima, & nutrice sedula nihil incommendatum reliquit. Sed quia linguâ loquitur Angelorum, non hominum, & Angelis magis loqui videtur, quàm hominibus: ideo audientes hoc, & non intelligentes, quid facient, nisi quòd utring; per singula membra ipsam beatam & benedictam in mulieribus predicent & benedicent? Et ut legitur in Libro de



[*Nov.*] *Laudibus Virginis: iste modus salutandi ipsam valde gratus est, & ei placidus, ut dicatur: Ave MARIA gratia plena, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Item: Ave, &c. benedicta Coma capitis tui, & benedictus fructus ventris tui. Deinde Ave, &c. Benedicta facies tua, & benedictus fructus ventris tui. Postea eodem modo oculi, aures, gena, nasus & labia, dentes, lingua, guttur, collum, brachia, manus, palmae, digiti, pectus, ubera, viscera, Cor, venter, umbilicus, genua, pedes, planta. Deinde Stomachum ejus, quae assimilata est palma; & sic per singula non pigeat totam benedicere, sicut eam per singula non piguit Spiritum sanctum commendare. Haec Arnestus.*

Praxis nova  
Rosarium  
de Pulchri-  
tudine Bea-  
tissima Vir-  
ginis orandi.

Magnum in Arnesto otij odium,  
sacrae Lectionis assiduitas, & in omnes  
affectus humanos Rationis Imperium.

## CAPUT VI.

**O**rationem Lectio sacra comitari libenter solet; ex utraque nascitur cupiditatum repressio, quod *Passionum Dominium* vitae spiritualis magistri rectius appellant.

[*Serm. 2.*] Orationem & lectionem, Petrus Blesensis duobus ramis aureis comparavit, in quibus columbarum resident duo pulli. Alludit nimirum ad illud Virgilianum: uno avulso, non deficit alter

[*Antid.*] Aureus, & simili turgescit vena metallo;

at duae illae simplices columbae, quid aliud sunt, quam affectus

[*M. S. Yno.*] I. compositi & conjugati? Audiamus de Arnesto vetus manuscriptum: Huic viro talis fuit iudicij memoria, ut sicut de credito sibi talento venienti Domino duplicatum lucrum referres curam habuit.



sic etiam de temporis sui, quo vixit spatio, quatenus & quem ad modum expendit, bonam posset poscenti Domino reddere rationem. Sive diurno, sive nocturno somno corpus non tradidit, quousq; ipsum sopor opprimeret. Hæc parsimonia temporis magnas solet adferre virtutes: amat æternitatem, qui tempus amat; pretiosum est, & solis Sapientibus notum, ex tempore lucrum, quod merito argento vivo comparatur, nisi custodias, omni lubricitate momento de manibus effluenti. Tempus, est ut linea, quæ album in tabulato cum nigro coassat & conjungit, quæ linea quidem est, sed latitudinem non habet; at *Arnestus* magnâ arte Tempus cum æternitate sic contabulabat, ut nihil interesset; non enim illud, quod summum esse bonum Romani credebant (*otium cum dignitate*) sequebatur, sed ipsam dignitatem ad negotium æternitatis referebat. Ingeniosè, nescio quis vetus è Græcia Scriptor, *Pavonem ob pennas & candam genitum*, dixit: sunt enim qui se satis vixisse putant, si modò firmata titulorum, & dignitatum trahant, illq; involuti moriantur: hoc unum habent mortis solatium, cum honore è vita discedere. Non sic *VEN. Arnestus*, qui æternitatem complexus animo, ex brevi tempore faciebat æternum tempus, & merita in æternitate quærens, bene simul de universo hominum genere mereri maximè cupiebat. *Plus*, ait ille, *patet unus dies eruditi, quàm saculum imperiti*. Sed ad manuscriptum Codicem redeamus: *Dejectus in stratam, per Cubicularium suum Clericum sibi saepe fecit vitas Patrum, aut in alio edificativo Codice legere, usq; dum sopor ingens ipsum lectionem non sineret auscultare, tunc interdum somno in ipso lecto capto, interdum, mollem lectum declinans, in malis ante lectum se prosternebat*. Vide mihi gradus virtutis spontè se *Arnesto* offerentes; ut ex Oratione Lectio, ex hac mortificatio, ut vocamus, nasceretur. Magnam enim in affectus vim obtinet sacra Lectio, quâ, velut *Orphei muscâ*, bruti affectus, velut humanâ manu deliniti, cicurantur & sopiuntur; paradoxum forsitan inexpertis, quod dixi, videbitur, sed ego me experientiâ multorum, & autoritate defendo.

Illud verò pulcherrimum, quòd cum Palatium Imperatoris  
ad

Temporis  
irigens est a-  
pud sapie-  
tes pretium,

Cic. in Catone  
sive L. de sen-  
tentiæ & aliis  
passim.

Plutarch. lib.  
de Stoicorum  
repugnantia.

Seneca.

II.

Lectionis Sa-  
cræ amor in  
Arnesto usq;  
ad fatigatio-  
nem.

Vide Isid. Ni-  
gron. 8. l. pe-  
culiars tract.  
de Lectione  
spirit.



III.  
De Ulrico Ci-  
lia Comite,  
vide Sylv. in  
hisor. Bolum.  
C. 66.

ad consilia de gravissimis rebus habenda ingrederetur *Arnestus*, ut solent ij qui inimicos habent, eorumque insidias timent, occulto armorum praesidio, & loricâ sese permunire, sic praesul noster armatus semper & instructus procederet. Arma erant Libelli sacri, quibus, dum exiret domo, vestium sacculos implebat, mediisque in consilijs, si quæ minùs utilia, & quæ mansuetudini Archiepiscopalis statûs non congruerent (ut erant poenæ capitales, aliâque hujusmodi) tractarentur, producto libello altero & altero, sese oblectabat. Cardinalem *Carolus Borromaeum* Virum sanctissimum, laudant vitæ Scriptores, quòd cum Equo currive veheretur, alligatis omni parte sacculis libellorum, quandam caelestis institoris speciem praeferebat. Idem de *VEN. Arnesto* vetus Scriptor expressit: *Nè quidquam sibi temporis, inquit, negligentia vendicaret, habebat in inferiori tunica, seu Jopella, ab utroque latere sacculos dependentes, in quibus certos libellos & memorialia sua deportabat, in quibus frequenter, dum curru vel Equo vehebatur, & nonnunquam in Consilio Domini Imperatoris & Regis, dum minùs utilia tractarentur, ad partem se irabens furabatur dulcem lecti-nem.* Facile id à *Cesare Carolo*, qui sanctimoniam Viri noverat, nè in contemptum sui acciperetur, impetrabat; nec Procerum subibat invidiam, quem si non aliunde, per causam concionum (nam more id temporis *Episcoporum* saepe dicebat ad populum) excusabant. At *Arnestus* praeterea, quasi legeret semper, eandem moderationem, & animi habitum, in reliquam vitam transferebat, ut nihil nimium in moribus extaret, sed ad modum & medium virtutis exacta omnia, ratione & pace quadam aeternâ regerentur, omnesque actiones aureae monetæ similes viderentur, quæ unâ formâ sit percussa. Didicerat hanc aequabilitatem à *DEI Maris* moribus, quam sic describit: *quid, quaso, fuit illa beatissima MARIE anima, nisi quadam purissima essentia quinta? omnino incorruptibilis, invariabilis, sine omni contrarietate illarum passionum, quæ nos infestant?* Has passiones ibidem explicare aggreditur, & quomodo in eas Imperium parari possit, ostendit. Gloriæ cupiditas in affectibus novissima exui-

Sæpe Arnestus in Consilio Imperiali pios libellos lectabat.

C. 4.



exiit, ejusque studium non senescit, ut rectè ajebat *Pericles*; at eam penitus *Arneſtus* contemserat, nullòque habebat in loco. Meminerat dubio procul, cum cathedras de Templo Christus Magister noster eijceret, simul eos qui se de honore jactarent, & primatùs quærerent dignitatem, atque ut ait D. Ambrosius, sacerdotio uterentur ad quæstum, velut Templo indignos, eiecisse. Non patitur, ait idem alio in loco, Christus eos in Templo, qui vendunt cathedras; quid sunt cathedra, nisi honores?

Jam consanguineorum Amor magnas sæpe virtutes Antistitum corrumpit, dum aut nimio indulgetur, aut nostris solis, velut præcipuis, Honoris, opum & potentia aditus aperitur. Antiquum vitium! cui olim Deam quoque veterum superstitio adjunxit *Matutani*, quæ *Nepotum salutem* curabat, cujus amoris in nepotes, sanè quàm ingeniosas caussas attulit egregius ab Italia Scriptor. Recitat lepidum ea de re carmen vetustissimum apud Surlum Historicus:

*Cum factor rerum privaret semine Clerum;  
Ad Satanae votum successit turba Nepotum.*

Hunc potentem affectum, quem multis cum sanguine, ut ita dicam, incoxit Natura, sic vicerat *Arneſtus*, ut non modò amplissimis Ecclesiæ bonis crescere suos, & ditari non sineret, sed etiam patrimonium ipse suum ingens, possessiones magnas & optimas, quas à parentibus acceperat, pecuniæ grandem numerum, Ecclesiæ Pragenſi, pauperibus, domibusque religiosis, & Templis DEI *Matri* erigendis, ut antè probavi, donaverit, eoque insuper, quotidianis cohortationibus, Fratres suos *Smilonem* & *Wilhelmum* pellegerit, ut ipsi quoque thesauros in cælum præmitterent, & in Fundatorum nomen in Cœnobijs statuendis & ditandis, ut ex litteris publicis, & *Glacensi* Cœnobio liquet, venire desiderarent. At in conferendis honoribus illud unum, cujus gratiâ conferri debent, nihilque aliud spectabat *Arneſtus*: nobilitas exornat illa quidem Sacerdotia, sed necessaria non est: Virtus & doctrina primum jure obtinent locum: Fuit etiam, ait vitæ vetustus Scriptor, studiosorum & virtuosorum pauperum Clericorum maxi-

X x

mms

IV.  
Pericles apud  
Thucyd. l. 2.  
histor.Marci 11.  
Ambros. in  
Psal. 1.Idem Conc. de  
basilicu non  
tradendis.V.  
Plutar. lib. de  
fraterno amore,  
in fine.Steph. Quax.  
l. 3. de Ci-  
vil. Conversat.  
Italiscè.Affectum es-  
ga consan-  
guineos su-  
peravit Ar-  
neſtus.

VI.

Notæ



mus adulator, quos etiam in promotione beneficiorum suis proprijs consanguineis preferbat. Rectè Satyricus quidam hujusmodi affectum, qui abit & redit ad libitum, *docilem febriculam* appellavit; ita enim accessu suo quosdam in amore suorum inflammat, ut omnia sanguis habere, nihil alij videantur, nubemque obducit quandam *Homericam & Ceruleam*, quâ Dij suos, quos amant, apud Poëtam involvunt, prælijs eripiunt, aut etiam inferunt in cœlum.

Sed clariùs in rebus adversis illa Affectuum pax & imperium elucet, ideòque ad *Arnesti* patientiam, lenitatem, & in summa dignitate ac licentia summam animi modestiam veniamus.

Venerabilis Arnesti patientia,  
faciles, suavissimiq; mores, ac præcipuè  
adversus peccantes teneritudo  
animi, & lenitas.

## CAPUT VII.

Hagk A. 1364  
Lupac. in Cal.  
M. S. Glacen.  
M. S. Vita.

Arnestus  
multa passus  
à malevolis.

Serm. 78. de  
Tempore.

Patientiam omnium injuriarum, ut primam in *Arnesto* virtutem, manuscripti Codices, & veteres historiae commendant. Vitæ Scriptor is, qui titulos virtutum potius, quàm virtutes & exempla virtutum scripsit (parcus, ut apparet, laudator) ab hac patientia pagellam suam exorsus est: *Arnestus primus Pragensis Ecclesia Archiepiscopus, &c. vir longa statura, omni morum honestate decorus, miræ patientia. Facile intelligimus non defuisse Arnesto, ut neque alijs sanctissimis viris, æmulos, invidos & obtrectatores: In utero spiritualis Rebecca, id est Ecclesia, duo populi colliduntur, ait D. Augustinus, humiles scilicet & superbi, casti & adulteri; erit autem gravida ista Mater usq; ad*



ad finem Mundi, tunc enim cessabit collisio. Pergit Manuscriptum: ipsius familiaris quotidiana consueta familia nunquam audivit de ore ipsius sinistrum, aut injuriosum verbum à foris procedere. Si quem putarat se offendisse, etiam minimo servorum, nimis humilibus verbis supplicabat ignosci. Sed etiam dum aliquis illi loquebatur injuriam, aut despicabile quidpiam, clausis labijs frequentissimè, signato ore digitis, agebat: Pone Domine custodiam ori meo; etiam habere obloqui, si vellem. Et quemadmodum eandem ore predicabat patientiam, sic ostendebat exemplo. Difficilis hæc virtus! nam facilius reperientur, qui se morti ultro offerant, quàm qui dolorem hujusmodi patienter ferant. *Vittam coccineam* Sponsæ, hæc labia Richardus de S. Victore appellat, quæ verba erumpentia nodo quodam constringit & enecat. Optime calumnia sobrietate responsi, aut silentio superatur. *Cùm Michaël Archangelus altercicaretur cum diabolo*, nullâ verborum asperitate usus, imperet tibi Dominus, dixit. *Merebatur diabolus maledictum*, ait Hieronymus, sed ab Angelo (ab Archiepiscopo) blasphemiam exire non debuit. Nihil *Arnesto* mitius, nihil ingenio, & cœlestibus ejus moribus humanius; comitate mirabili accipiebat, & capiebat omnes, ut sibi cum Angelica quadam intelligentia, ut ita dicam, negotium esse putarent. Mores ab educatione nobilissima cultissimos duxerat; hilares erant oculi, altum & regium corpus, vox media, nihil blanditiarum, nihil arrogantia præferens; facilitas deinde accessus, venustas oris, coloris læta suavitas, verba dulcia, lingua in corde & humanitate intincta, amabilem omnibus faciebant *Arnestum*: omnibus eo indigentibus, ait Manuscriptum, resplenduit mitis, quos charitatis nectare, sicut subditus, suo bono exemplo edificare curabat. Episcopos amabat ut fratres; juris sui non avarus exactor, ab ijs *Praga* in Metropoli, suoque in conspectu, consecrari Capellas & Tempia, quoties affectu raperentur, liberalissimè sinebat. Inter hæc tamen acer oppugnandis hæreticis erat *Arnestus*, tantâque sententiarum vivacitate & acrimoniâ, ut resisti non posset: ausus est, *Arnesto* præsentem, velut libero in campo, vir ætate suâ disertissimus, ut

Accusabat se apud famulos suos *Arnestus*.

*Critognatus* apud *Cæs.* l. 7. de bello Gallico. *Richard.* C. 19. Cant. 4. *Delrio* in C. 4. Cant.

*Ambros.* l. 2. de offic. C. 3.

In *Epist.* ad *Titum* C. 3.

III. *Comis* & *humanus*.

*Malè* *Mariæ* habet subditos.

*Hagek* A. 1344

IV. *Hæreticis* implicabiliter offensus.



Dubrov.  
Hagik.

Benignus, &  
facilis ad re-  
cipiendos  
Pœnitentes.

L. 2. de Pœni-  
tentia C. 8.

Gen. 38.

credebatur, & carminum condendorum maximus artifex *Nicolaus Laurentius*, Eloquentiam suam jactare, & Romanæ Sedis auctoritatem convellere; aggressus hominem *Arnestus*, Cæsare audiente, in omnem partem versavit, quod antè retuli, & fractum in arena reliquit. *Hoc habet*, qui impar & incautus in adversario majore vires suas experitur! At contra apud Pœnitentes, & quos sua peccata cruciant, *Arnesto* maxima gratia; hos sermonibus opportunis deliniebat, spern veniæ ostentabat, suspensâ manu tractabat ulcera, saepe etiam occultato, ut ille in regia Virgine medicus, cultello rescindebat vulnus, & spongiâ exceptum sanguinem non sinebat apparere. Retuli superius *Arnesti* cum Senatu Pragensi colloquium, eo affectu plenum, quem faciles & amantes Patres habere solent, cum à filiis è naufragio emeris, audiunt Syrtis & pericula describi. Talis in omni vita fuit, ut eum Hagecius vocat, *Arnestus misericors Pater*, qui condoleret, non exprobraret; quoniam *qui lapsus gaudet alieno, diaboli gaudet victoriâ*, ut loquitur D. Ambrosius. Ambrosij hac in re affectum imitabatur *Arnestus*, & sua in alijs peccata plangebat. Ego ait ille, *sciebam Domine, quòd non eram dignus vocari Episcopus, quoniam dederam me seculo huic, sed gratiâ tuâ sum id quod sum. Id primum à te Domine peto, ut condelere nôrim peccantibus, affectu intimo. Hac enim summa Virtus, quia scriptum est: Et non gaudebis super filiis Iuda in die perditionis eorum, & nè magna loquaris in die perditionis eorum, sed quotiescunq; peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar, nec superbe increpem, sed lugeam & defleam; ut dum alium fleo, meipsum defleam dicens: Iustificata est magis Thamar, quam ego!*

Venerabilis Arnesti suscepta  
pro Justitia certamina. Item quàm im-  
patienter detrahentes audire sit soli-  
tus.



tus. Denique de quotidianis ejus in  
virtute profectibus.

## CAPUT VIII.

**G**Ravia & potentia valde odia ac certamina ob Justitiã  
subijisse, multorumque à se Procerum, & magnorum in  
Aula Principum animos, qui Cæsarem in partes trahe-  
re, ejusque autoritatem suis cupiditatibus obtendere  
solebant, alienasse *Arnestum* legimus; & revera magnos oportebat  
esse *Canes*, qui tantum *Leonem* allatrare & aggredi auderent.  
Quæ in se jactabantur, ut vilia præteribat, aut contemnebat *Ar-  
nestus*; at si Justitiã lædi vidisset, exurgebat continuo, tantãq;  
vi, & rationum pondere pugnabat, ut *Arnesto* præsentem non du-  
biã, sed certã semper victoriã Justitiã triumpharet. Significant  
historiæ, ob Justitiæ patrocinium publicè susceptum, periclitatum  
aliquando fuisse de vita, parùmque abfuisse, quin periret;  
sed unde illud periculum accersitum, aut quã ratione vitatum sit,  
nemo explicat. Ab hæreticis etiam, quos *Flagellantes* vocabant,  
insidias *Arnesto* structas, jam antè narravi. Nihilominus tamen  
cum ferro & flammis improbos ulcisci *Cæsar Carolus* vellet, inter-  
cessit *Arnestus*, priùsque dissipato cœtu, nè unquam in Bohemi-  
am redirent, pro omni supplicio vetitum est. Summam itaque in  
Justitiã misericordiæ gloriã invenit *Arnestus*, idque divinitatis  
exemplo, quæ cum sævire parat maximè, misericordiæ occurru  
tenetur, & velut in molli, impetum amittit & frangit. Anno-  
tavit id quoque melleus *Ambrosius*, cum illa Psalmi verba per-  
pendit: *misericors & justus, & DEVS noster miseretur. Bis, in-  
quit, misericordiam posuit, semel Iustitiã: in medio Iustitiã est, ge-  
mìno septo inclusa misericordiã, captivus misericordiã Iustitiã est.*  
Magnum tum quoque & grave periculum *Arnestus* adiit, cum  
*Regem Ioannem* libertati Ecclesiasticæ gravem, & opibus Eccle-  
siarum

4.  
Multa ob a-  
morem Iu-  
stitiæ pertu-  
lit.

II.  
M. S. 97a.

Arnesti Cle-  
mentia.

De obitu Theo-  
dosi.

Arnesti for-  
titudò.



fiarum imminentem (etsi ejus iram præcipitem, & multa nimis audentem ignorare non poterat) Anathemate perculit, coëgitq; fateri, ab humano & Civili judicio Ecclesiæ jura non pendere.

IV. *Fuit in sermone verax*, ait Manuscriptum, & *magni consilij vir*, atq; *in Judicio justus*, apud quem non erat acceptio personarum. Et quamvis usq; ad vitæ suæ exitum multas, crebras ac graves sustineret injurias, tamen pro ipsa strenuo ac virili animo constantissime dimicabat, non parcens contra ipsam pauperi, nec potenti. Cùm verò nihilo secius in Judicijs, privatâ quorundam Procerum gratiâ, Justitiam vinci ac superari videret *Arnestus* (ut Hagecius de temporibus illis scribens fatetur) author *Carolo Casari* fuit, ut Regum antiquorum renovaret exemplum, qui pro portis urbium pauperes audiebant, idque cum summa nominis sui gloria & difficili sequentia in Principum imitatione *Carolus*, dum Praga versaretur, agebat quotidie. *Iniqui Judices*, ait Remigius, *porta sunt mortis*, boni Principes porta salutis. Sed præcipue in Archiepiscopali consilio justitia regnabat, in quod doctissimos & probos viros adlegebat, qui neque odijs, neque gratiâ ducerentur. Tempore ejus, ait verus Scriptor, *cepit Justitia in Consistorio suo foveri, & vigorem habere, quæ unicuiq; etiam contra quemcunq; potentissimum, reddebatur*. Legi apud *Pierium*, *Palman* Justitiæ symbolum in sacris litteris haberi, quod & rectâ ascendat, & adversus omne pondus munerum surgat, & succum tam justè in ramos dispenset, ut omnia folia sint æqualia, nullumque altero majus videatur. Quis jam dubitet amantissimum Justitiæ *Arnestum*, velut olim *Debboram*, sub *Palma* judicasse, qui omnibus idem, omnibus æquissimus esset, nullòq; ut hodie dicunt, humano respectu vinceretur? Inde fiebat, ut ejus in judicio præsentiam diligenter observarent Pauperes, boni omnes optarent, timerent, violenti, & in causis dubijs utraq; partes hunc suarum litium arbitrum & laudatorem eligerent, ut non *Justi* nomen, sed ipse *Justitiæ* laudem obtineret. Ex hoc forsitan æqui & boni amore natum est, ut impatientissimè detractores alienæ famæ audiret, neque omnino coram se vitam, existimationemque alienam maledictis

Remig. in  
Psal. 9.  
VI.

Lib. 50. hiero-  
277b.

VII.



ledictis oppugnari ferre posset. Apud *Arnestum*, non is cui detrahebatur, sed qui detrahebat, subibat infamiam. Vitabat magno studio virulentos ejusmodi hominum congressus, atque, ut testatur vitæ Scriptor, *adhuc diem tenente tempore Cameram subintrabat, nè quid perniciosi, quod famam vel vitam coinquinaret, aut nè verbum non edificativum posset emergere.* In aliena vitia inquirendi otium non habebat, cum sua in libello descripta nocturnâ diurnâque manu versaret.

Non mirum igitur (ut breviter, quæ hoc & superiore Capite scripsi, colligam) non mirum, inquam, tantâ morum innocentia præstitisse, qui sic in affectus omnes suos domandos incumberet, & assiduè vigilaret: beatus qui tenebat, & allidebat parvulos suos ad petram! *Philo* doctissimus Hebræorum queritur, post peccatum primi hominis, ut in *Arcam Noë*, sic in *Cor humanum* innumerabiles *beluas immissus*, quæ rugitibus, latratibus, aliisque inconditis vocibus & motibus, rationem dominam perturbent; at *Arnestus*, *velut incorporeus* (verba sunt D. Ambrosij de Noë loquentis) *in superabilis passionibus in medio tantorum motuum gubernabat.* Neque contentus *Præsul Optimus* vitæ suæ rationes & affectus componere, sed ascendere & in virtute crescere, ac velut *Abraham* semper ad meridiem proficisci solebat: *Iustorum enim semita quasi lux crescit usq; ad perfectam diem.* Libellus ille *Arnesti*, de quo toties jam dixi, non errata tantum continebat, sed omnes cœlestis vitæ rationes explicabat: *Descripsit in eo*, ait Manuscriptum, *pœnitentias sibi impositas, & consilia Confessorum*, ut de virtute in virtutem procederet, & velut mercator sedulus lucra sua nôset, atque in futurum tempus disceret majora mercari. Ab *Iustitia*, ad ejus comitem beneficentiam gradum faciamus,

Lib. de plant. Noë.

S. Ambr. l. d. Noë & Arcae c. 15.

VIII.

Gen. 2. Vide Problemata in Genes. Franc. Georgii probl. 47. & probl. 110.

Cic. lib. 3. de officiis.

VENE-



VENERABILIS Archiepiscopi ARNESTI mira semper in Pauperes beneficentia, & quædam misericordix ipsius præcordia.

## CAPUT IX.

Arnestus Eleemosynarius & summus Pauperum amator.

Baron. A. Ch. 173. Euseb. lib. 4. C. 23.

Theodorus Amidenus de Piasate Romana libro 4.

D. Ambros. Conc. de Basilicis non trad. Tomo V.

\* S. Paulin.  
\* S. Nicolaus, &c.  
\* S. Ioan. Eleemosynarius, &c.  
\* S. Thom. de Villanova. Cum pauperibus quotidie comedit.

**P**erpetua ab omni Christiana Antiquitate, Sanctissimorum Præfulum, nota & character fuit, cordibus eorum quodammodo inustus & incisus: *amare Pauperes*. Quasi Ecclesiarum opes pauperibus deberi crederent; gaudebant, si miseri & egeni in expensis legerentur. Leges passim in *Cæsaris Baronij Annalibus* exempla; quanta de Ecclesiæ Romanæ liberalitate & munificentia olim, atq; etiam hodie, tradunt Scriptores! Imitati sunt Pij Præfules *D. Laurentij* laudatissimum facinus, qui *facultates Ecclesiæ dedit pauperibus*. Hoc se, pauperum licet inermi & nudo, fido sibi tamen exercitu, defensurum Mediolanensem Ecclesiam, nè ab Arrianis occupari possit, gloriosè non minùs quàm verè iactavit, Episcopali libertate, *D. Ambrosius*: *Habeo, inquit, defensionem, sed in Orationibus pauperum: cæci illi & claudi, debiles & senes, robustis sunt bellatoribus fortiores*. Pleni sunt omnes Ecclesiarum libri Sanctorum Præfulum ac Pontificum eleemosynis, quorum alij \* seiplos pauperum amore vendiderunt; alij, \* velut *Fortuna* describitur, missilibus aureis in egenos pluebant; alij, \* suæ dignitatis obliti, exuere vestes, ut donarent; nota sunt etiam nostro sæculo Sanctorum Eleemosynariorum \* nomina. Videamus obiter an hæc Pontificali virtute claruerit Archiepiscopus, & ad summum Pontificatum aliquando postulatus, *Arnestus*: *Cum Aulam aleret splendidissimam, ex illustrissimis*

Baro



Baronum & Equitum familijs collectam, ipse tamen domi mensa nunquam accubuit, quin unâ duodecim pauperes vescerentur, & ad *sacietatem*, ut Hagek addit, *reficerentur*; idque duobus & viginti annis, æternâ sibi indictâ lege, servavit; abeuntes ipse comitabatur, & stipe donatos dimittebat. Eleemosynarum Præfectos duum generum habebat: alios publicos, qui obvijs omnibus, nullo omnino paupere excepto, seu per urbes, seu per agros iter faceret, largirentur. Quemcunque proficiscens, ut indicat vitæ Scriptor, ipse eminus *Arnestus* conspicaretur, & pauperem putaret ac suspicaretur, licet non petentem, celeriter sequi famulos, & stipem dare jubebat. Alterum erogantium genus erant Majores Aulæ Prælati, qui occultos pauperes, & quibus è Statu, unde deciderant, accipere pudor est, explorarent & ditarent; hos, ut ita dicam, corycaeos majoribus pecunijs instruxerat, quia istud pauperum genus parvo & frequenti auxilio non juvatur, sed unam tantum, celerem & divitem manum exposcit. Sed alia quoque *Arnesto*, ob *DEI Matrem Virginem*, Virginum pauperum cura: habebat. *Arnestus*, ait vitæ Scriptor, *S. Nicolai pudorem, ejusq; sequebatur vestigia: semper unum, aut duos Presbyteros habebat, qui secretè ipsius pecunijs virgines, nè stupro eas ob paupertatem prostitui coningeret, decenti dote oblatâ maritabant. Pauperes etiam alios, qui ob verecundiam eorum præcedentis status honorifici, mendicata petere formidabant suffragia, comperenti pecuniâ relevabat.* Ad hanc Misericordiam Sacerdotes & Prælatos domesticos erudiebat: his, ut Nosocomia inviserent, imperabat, quarens defectus infirmorum (verba sunt vetusti Scriptoris) in eis degentium reformarent, si qui forent; quod sinè protectione effectui mancipabant. Nosocomia ejusmodi pauperibus alendis complura excitavit *Arnestus*: *Præbrami, Libani, Broda, &c.* perpetuisque de suo attributis censibus opulentiè fundavit. *Aurum*, ut scribit *Albinus* ad *Joannem* Episcopum *Salisburgensem*, prodesse potest danti, non possidenti. Ideo demus divitias in presenti, ut in futuro possideamus illas: nam pauperis manus, gazophylacium est Christi. Nullus melior custos divitiarum est, quam Christus.

Hagek A. 1360

II.  
Occultis  
pauperibus  
subvenit.

III.

IV.  
Virgines  
pauperes  
dotat.

V.  
M. S.

Nosocomia  
edificat.

M. Vistina in  
Boicu h. 1.

græ

Y y



gna misericordia, ut testatur Scriptor Arnesto coævus, & largitissimis fuit erga pauperes Christi, Beatissime Virginis Lucia instructiva consilio, qua dixerat Matri suae: non satis est coram Altissimo, quod illi dabis, quo ipsa perfrui non potes, sed si tibi vis DEVM propitium fore, hoc illi da, quo poteris sola uti. Nam quod illi das moriens, ideo das, quia tecum ferre non pravales. Hic Arnestus multos in studio

VI.

VII.  
Cura ejus de  
Clericis e-  
gentibus.

Bononiensi, Paduano, & alio tenuit Clericos pauperes, quibus de libris, vestibus, & sumptibus, & demum beneficijs providebat. In ipsa deinde Metropolitana Ecclesia Pragensi perpetuum Theologiae Professorum instituit magnis suis sumptibus, æternoque censu in Villa Zlatnik, quam emerat, stabilivit. Ejus Professoris munus erat, omnes, qui cuperent, Ecclesiae Pragensis Canonicos, Clericos, aliisque Ministros Theologiam & sacras litteras docere. Quare paupertati Clericorum providè consulebatur, cum nullum, à discipulis pretium, ultra eos census, auderet Magister accipere.

VI

VIII.

Insignis be-  
neficentia &  
liberalitas.

Quot misericordiae rationes? quam ingeniosa in malis alienis, & paupertate Venerabilis Archiepiscopi charitas? certum mihi est, multos sanctos Præsules, quorum Eleemosynas & liberalitatem & beneficentiam in egenos Ecclesia commendat, si non affectu, effectu certè ab Arnesto superatos. Præcipua in pauperes beneficentiâ ferebatur ijs per annum diebus, quibus memoria Mortis Christi consecratur; tum enim IESU Cruci affixo, & in nuditate & contemptu pendenti, in pauperibus suis contegendo studebat: singulis etiam annis in Parasceve (ita M. S.) septuaginta aut plura stamina grisei panni (nunc petias vocamus) pauperibus per consuta pallia, tunicas & capputia dividebat, &c. regia liberalitas! nam tanta apud nos staminum magnitudo, ut hæc unâ liberalitate, quadringenti minimùm pauperes commodè vestirentur. Quid in fame, quæ annis duobus afflixit Bohemiam, Arnestus egerit, quâ Charitate Bohemiam, curribus annonâ plenis sequentibus, peragrârit, quantam piscium copiam in Pauperes divisisset, & piscinis apertis omnes pisces pro amore DEI, ut vitæ Scriptor ait, donârit, superiore jam libro narravi; mensam Solis re-  
dare liberalissimus Præsul, & domi suæ quotidie instruere videbatur.

Quid egerit  
in fame.  
IX.

De Mensa Solis  
Herod. l. 3.  
Ecl. Rhodig.  
l. 29. Ant. l. 10.  
S. Hieron. ad Paulin.



debat. Quamvis verò sciret *Venerabilis Arnestus*, non satis decòrum dignitatì suæ, si iudiciorum se, & litium tricis immisceret; præcipuè in civilibus minimisque iudicijs authoritatem Sacerdotum, nè dicam Archiepiscoporum, profanari; tamen cum pauperum causæ agerentur, nihil dubitabat suscipere, dignitatèque suam pauperi donare, ut meritò *Defensor pauperum in iudicio*, & *Advocatus miserorum* appellaretur; hujus unius præsidio nitentur illi, & sive in iudicio ipse sederet, sive assisteret tantum, modò præsens foret, sciebant in causis pauperum silentium tenere non posse, cujus authoritate & dignitate sibi adjuncta, pares se cuicumque Potentiæ futuros in iudicio lætabantur.

Pauperum  
causas in ju-  
dicijs susci-  
pit.

Hagek 1364. in  
Annual. Boh.

Nec in morte suorum immemor, præter alias, quæ inopi populo numerarentur, pecunias maximas, *ducentas argenti marcas pro panibus*, & *vestitu pauperum ministrorum Ecclesie Pragensis* testamento legavit; ideòque non mirum, *viam*, quàm mortui corpus vehebatur, pauperes lacrymis prosecutos, ut significat *Hagecius*, itaque post mortem velut *Trajanus Imperator*, sic *Arnestus* (quæ verissimi, justissimi, & nullà adulatione corrupti triumphis species est) exercitu pauperum deducente in terris, in cœlis triumphabat. *Fleverunt*, ait in exemplo simili D. Ambrosius, *pauperes, & quod multò pretiosius est, lacrymis ejus (si quæ restabant) delicta laverunt. Illa sunt lacryma redemptrices, illi gemitus, qui dolorem mortis abscondunt.*

XX.

Pauperum  
fides in Ar-  
nesti morte.

Mariana de  
rebus Hispan.  
l. 4. C. 5.

In Obitu Fra-  
tris sui Satyrbi.

Venerabilis Arnesti in publicis juxtà ac privatis Operibus insignis magnificentia, regiùsque ac splendidus animus; simul vetus illa fama de thesauris ab eo repertis refellitur.

Yy 2

CA-



## CAPUT X.

Magnificen-  
tia propria  
Principum  
virtus eam  
colit Arne-  
stus.

Caracciolus in  
vita Pauli IV.  
Sixtus V. Cle-  
mens VIII.  
Gregor. XIII.  
& XV. Urba-  
nus VIII. alijs.

Palatiū per-  
fecit Rex  
Vladislaus  
Atlas Merca-  
toris.

Petr. Bertius  
in Geogr.

M. S. Bar-  
tasikonu de  
Drabenicz.

**M**agnificentia virtus apud ignaros humana vitæ, & opum inexpertos, sæpe malè audit, & pro vitio accipitur. *Parvi & Pignari*, ut sic loquar, *animi*, semper intra fortunæ suæ paupertatem latentes, quid excelsum in opibus sit, ignorant, parvisque & suis cubitis magnitudinem animorum, & magnificentiam ac splendorem Principum metuntur. Sed alia nimirum virtus est religiosorum hominum, in claustris degentium, alia Principum; alia privatorum, alia Pontificum ac Præfulum curæ, qui nisi alta quædam, ampla & splendida designent, quæq; ad utilitatem communem referuntur, ament, lucris suis tantum intenti, mercatorum agunt vitam, non Principum. Qui magnus esse cupit, cum magnitudine commercium habeat, oportet: ideoque nunquam satis laudari poterunt ij Pontifices, qui magnifici in omni vita fuerunt, & in ejus virtutis argumentum *urbem Romam* pulcherrimis, æternisque operibus exornarunt. Eâ res animum contemptorem opum, & *publico bono natum Principem* ostendit, propriæque Principum & Pontificum virtus jure censetur. Totus in hac virtute *Venerabilis Arne- stus*, etsi animo modestissimus, magnis tamen & splendidis rebus semper erat intentus; quanta eo *Ministro Cesar Carolus* sit aggressus, narratum nuper est; arces, pontes, urbes, quasi miracula Thebarum ab humo surrexerunt: palatium certè Pragensis Arcis, & pontem super Muldavam *Gerardus Mercator* inter admiranda Europæ collocavit. Maximus quoque ædificator *Arne- stus*: habitabat amplissima in domo, quam sibi, & Successoribus Archiepiscopis à fundamentis excitarat; atque in ejus domûs ornatu, nihil Electoribus, maximisque Principibus (qui Pragæ id temporis regiâ magnificentia certatim domos ædificabant) concessit; *Palatys, fornicibus, ambulacris, ac horto* præcipuè pulcherrimo, quem instruxerat ad paratissimam hospitem omnium voluptatem. *Aulam* trahebat nobilissimam, Prælatorum, Aulico- rum,

III.



rum, Clientum & armigerorum Diocesanos (ita tum vocabant) grandi numero, quæ multitudo Nobilitatis duobus successoribus Archiepiscopis (Albico & Conrado) avaris & sordidis non placuit, missionemque honestam Nobilitati dederunt, quo uno facto omnem Archiepiscopi dignitatem exarmaverunt. Nam tanta olim Pragensis Archiepiscopi inter Procere potentia fuit, ut paucis diebus multa armatorum millia, quoties vellet, auxilio potissimum Nobilitatis (quæ Aulam ejus recepto more sequebatur, & in ditionibus Archiepiscopi sedem fixerat) advocare & cogere posset; quo numero *Conradus & Albicus* haresin in Bohemia, nondum satis corroboratam profligare potuissent. Certè *Zbygnaus* Archiepiscopus, ut narrat *Hagecius*, intra dies octodecim, septem peditum, & tria Equitum instructissimorum millia cum novem sexagenis curruum, *decimo nono ab obitu Arnesti* anno, adversus Bavarix ducem eduxit. Redeamus ad Arnestum: hic magnanimus & magnificus Princeps, plurimas veteres Arces in ditionibus suis diruit, novas exstruxit, urbes mœnibus cinxit, ædificijs privatis & publicis exornavit, omnia saxo ad perpetuitatem permunivit. Jam ditiones piscinis, vineis, lupuletis, alijsq; hujusmodi œconomix apparatus, pecudum armentis & gregibus, lucos mitium terarumque animalium, avium insuper familijs (vivaria apud nos vocant) implevit. Sed hæc minima; *Pragensis* Ecclesix fabricam pulcherrimam, & verè *Basilicam*, (hodie multum senectute, alijsque incommodis seipsa minorem) descripsit, & non modicam ejus partem ædificando absolvit. Plura referre nihil attinet, libro superiore copiosius memorata. In Templis divitias & splendorem amabat *Arnestus*, ideoque calices aureos, argenteos, gemmis illuminatos & accensos, vestes Sacerdotum auro & argento lucentes, phrygiõque opere elaboratas, dono Templis mittebat. Cœnobìa libris pretiosis, picturis & imaginibus magnorum artificum, pictorum, ac præcipuè Statuariorum, quorum hodie inaurationem imitari non possumus, ditavit, aususque est vetustus vitæ Scriptor asserere: *nunquam in Ecclesia Pragensi & Regno Bohemia ante Arnestum, aut*

Archiepiscoporum Pragensium quosdam in Regno potentia.

Hagek 1383.  
Ego non credo Zbygnauum Archiepiscopum fuisse id tempus, sed Ioan. de Genstein, s. Vide supra l. 3. C. 12. in Notis.

IV.  
Oeconomus Arnestus.

V.  
Templorum pretiosa suppellex Arnesto placebat.



Amator fuit  
librorum.

ad. S. Glasens.

VI.  
Vnde tanta  
Arnesto di-  
vitiis.

post eum tantas Templorum divitias, tamq; elegantes munditias visas esse: Codices eleganter scripti, aureis argenteisq; imaginibus ad Caputum initia splendebant, litteræ primæ pictis Sanctorum imaginibus ornabantur, folia inaurata; umbilici extantes, munita omnia ære aut argento, nè lædi possent, holoserico, attalicâ aliâve pretiosâ materiâ tegebantur; Sapphirino colore maximè delectatum in librorum integumentis ferunt; argumento esse potest, præter alia, Manuscriptus *Mariæ Liber*, cæruleo holoserico tectus. Vidi ipse in vetustis Bibliothecis, *Trebonensi* præcipuè ac *Borowanensi*, & pluribus alijs ejusmodi volumina, ab *Arnesti* temporibus servata. Et sanè libri eo tempore inter res pretiosas habebantur, ut meritò auro & argento possent involvi. Hunc quoque in Venerabili Præsule librorum amorem Manuscripta commendant: *Multos libros, etiam extraneos à notitia multorum hominum, scribi fecit, & de alijs Mundi partibus apportavit. Habens tres continuò vel duos chartularios ad minus, qui Libros, etiam Missales & Missarum Canones, præter alia quotidie conscribent, quos Monasterijs & Ecclesijs, ac alijs pijs locis, prout quosq; cognoverat, indigere, dispensavit.* Denique eò jam immensâ quadam liberalitate pervenerat, ut expendere plura, quàm accepisse crederetur: Quantas enim opes in hæc, quæ memoravimus, effudit? quot Templâ, domos, turres, arces condidit? quatuor ditissima Cœnobia struxit, locupletavit, & bonis donatis fundavit. Quantæ ubique fabricæ? quid tot aliâs Sacerdotum *Praga*, *Glaucy*, alibiq; Fundationes adferam? tot Nosocomia pauperibus ædificata, & censibus æternis, aliquando etiam villis attributis, stabilita? quid maximis ditionibus auctum Archiepiscopatum, & ex proprio patrimonio emtam & adjunctam Pragensi Ecclesiæ amplissimam ditionem *Rozmitalensem*, aliâsque complures? quid dicam de liberalibus & perpetuis eleemosynis? quid de *Bibliothecis*? ad extremum de tam grandi pecunia à moriente, Ecclesijs & pauperibus legata & relicta? Aurum è montibus Pyrenæis effusum in *Arnesti* sinum fluxisse diceres. Traditum est, cum eum tanta inchoare, & absolere, pecuniâque in-

nume-



numerabilem spargere viderent Majores, suspicari cœpisse: *Ar-  
nestum*, velut olim Lynceum, Thesauros in terra videre ac sen-  
tire. Neque eam suspicionem effugere potuit, dum vixit; cre-  
debantque tantæ sanctitati dedisse DEVM, ut non sibi modò, sed  
*Cyrolò* etiam Cæsari, latentem thesauros monstraret. Ego id veri-  
simile non arbitror: res enim tam nova indicio aliquo littera-  
rum, aut ipsius loci testator fuisset; qui paternas opes *Arnesti*  
maximas, Archiepiscopatus Pragensis divitias eo tempore (ex  
quo solo octoginta aureorum millia quot annis capiebat) qui  
*Caroli Cæsaris* favorem, & summum Aulae ministerium, qui auri  
& argenti ex fodinis copiam, qui Civium & subjectorum popu-  
lorum in Præsulem suum amorem, qui *Arnesti* parsimoniam &  
inutilium voluptatum fugam spectarit, nihil nimium putabit, &  
acceptis expensas facile respondere potuisse, animadvertet. For-  
sitán *Arnesti* thesaurus ipsa liberalitas fuit, ut olim *S. Episcopo*  
*Ioanni Eleemosynario*, qui magnum certamen DEO obtulit: utrumne plus dare DEVS, quàm ipse in pauperes posset erogare.  
Solet hanc liberalissimis hominibus mentem injicere DEVS, ut se  
liberalitate, pauperiores nunquam fore putent; saepe etiam mi-  
raculis hæc benefaciendi voluntas approbatur, & rationes in-  
melius è cœlo perturbantur. Ita *S. Lydwina sacculus* nunquam  
ære vacuus poterat inveniri, novumque Patrum sæculo, in *Gre-  
gorio XIII. Pontifice* narratur exemplum, cujus effusa in omnes  
gentes beneficentia ad Antipodas usque penetravit, cui meritò  
ex Senatusconsulto in *Capitolio Romano* posita Statua, cum com-  
munis Patri & Pastoris elogio, his inter alia verbis: *sestertium*  
*octingentes singulari beneficentiâ in egros distributa* (est hæc sum-  
ma vicies centena millia aureorum) collectis verò omnibus post  
ejus mortem *Rationum* libellis, ab ipso *Rationario* scriba, com-  
pertum est plura dedisse, quàm accipere potuerit, ut affirmat  
*Cardinalis Baronius*. Antiquum hoc in sanctis Præsulibus mira-  
culum agnoscit etiam D. Ambrosius: Scio, inquit, pleròq; Sacer-  
dotes, quo plus contulerunt, plus abundasse. Satis jam multa de  
tribus Cardinalibus *Arnesti* virtutibus (*Iustitia, Fortitudine, Tem-  
perantia*)

*Mariana* l. 2.  
histor. Hispa.  
C. 14. & C. 19.

*Galcoit. Mar-  
tius* lib. de  
doctr. promi-  
ssum C. 19.

*Paulus Zideij*  
in M. S. 80.  
millia aureorum  
alij pleriq; 100.  
millia aureorum.

Liberalitas  
magnus est  
Thesaurus.

*Sur. in ejus*  
Vita.

*Surius* in ejus  
Vita.

*Gregor. XIII.*  
liberalitas  
prodigiola.

*Baron. Anna*  
Chr. 175.

l. 2. officior.



perantia) quibus anima ejus velut hortus irriguus, aut Paradisus deliciarum circumfluebat, *Prudentia* reliqua est, quæ in *Arnesto* mare potiùs, quàm flumen appellari meretur.

Summa Venerabilis ARNESTI  
Prudentia. Item Fælicitas Regni Bo-  
hemix ab Arnesti Ministerio, &  
gubernandi primâ authoritate  
& scientiâ.

CAPUT XI.

**M**agnus Emblematum, & hujusmodi elegantiarum, quæ curiosis ingenijs delicias faciunt, superiore sæculo Princeps *Alciatus*, cùm Magno Duci Epitaphium conderet, super Tumulum mortui Ducis, Urbes armis ab eo devictas, campos prælijs ablatos, flumina sanguine euntia, strages ac cædes hostium editas, auctas eorum corporibus terras, erepta vexilla & trophæa, aliâque his similia militiæ decora, pingi jussit, sed eâ dispositione, ut ex ijs *Ducis* conficeretur *Effigies*, quæ virtutes ejus bellicas, unâque ipsum armis, velut ericium, referret. Si *Arnesti* Prudentiæ Imaginem spectare aliquis oculis post tot sæcula cuperet, ante eum ego *Bohemia Regnum*, non ut nunc est lacerum, viris & viribus defectum, sed quale *Caroli Caesaris* temporibus fuit, viris armisque florentissimum, opibus, auro, argento, gemmisque nitens, pace suâ latum, Civitatibus frequentissimis, & pulcherrimis constitum, Cœnobijs Templisque altissimis distinctum, omni bonorum genere, & fortunæ rivis magis, quàm fluminibus suis, circumfluens, in Tabula statuerem, adde-  
rémque

R  
Bohemix  
antiquæ fæ-  
licitas & o-  
pulentia Ar-  
nesti emble-  
ma.



remque breve Lemma, quo *talis ab Arnesto* prodijisse *Bohemia* diceretur. Sed fera ista sunt regionis deplorata, & quondam hæresi, nunc aliter pereuntis, solatia. Illud fidenter iterum, iterumque repeto: quidquid gloriæ & potentia, quidquid religionis, pietatis, virtutum, ac felicitatis humanae & divinae *Cæsaris Caroli* temporibus fuit (quod certe maximum fuisse scimus) id omne *Arnesto* potissimum deberi. E sinu ejus *Carolus* prodijt, ejus consilij, pietate ac sanctimoniâ ipse regebatur, & regna regebat; eo Ministro, atque etiam Legato in rebus gravissimis utebatur, quidquid prope *Carolus* fecit, *Arnestus* est. Spectavit hujus felicitatis aliquam partem (quamvis jam tum cadebat *Bohemia*) altero post *Carolium* sæculo *Pius II.* Pontifex, cum in *Bohemia* ante Pontificatum, *Friderici Cæsaris Legatus* venisset, neque dubitavit ea de *Bohemia* scribere, quæ non modò exteri, sed etiam *Bohemi* admirentur. Huc spectant illa, quæ superius attuli, cum aut *Arnesti* in *Ecclesiam Pragensem* merita, aut consilia, quæ *Carolo* regnanti dederit, commemorabam; hic repetere operæ pretium non duxi: quantus *Cœnobiorum* numerus! quanta *Nobilitatis bellicosæ* copia! quanta ubique *Sanctitatis & Virtutum* exempla! quanta *scientia & doctrina*! quanta in *Pace* opum magnitudo & *securitas*! quàm auctus domi *populus*! quanta apud *vicinas, remotasque gentes* *Gloria*! quàm *Rex* populo charus, quàm *Regi* *populus*! Neque enim majus *Regnorum* vinculum, quàm *populus* qui se à *Rege suo* sentit amari. Et respondebat aureis moribus aurea tellus, tantusque auri & argenti proventus, ut turres & tecta *Pragensis* arcis auro probatissimo *Carolus* inaurarit. Quæ quidem *Telluris felicitas*, etsi ab *Arnesti* consilij provenire non potuit, tamen observatum magnis authoribus est: *Naturam*, aut potius *Naturæ authorem*, *DEVM*, *Prudentiam Gubernantium*, tum alijs, tum istiusmodi muneribus ac divitijs remunerari. Contrà mala & inimica Regnis consilia, inopiâ publicâ terrarum, pecuniæ & annonæ caritate, aliisque malis puniri. Ego, ait *Sallustius*, in vita multa audiendo atq; legendo ita comperi, omnia *Regna, Nationes, Civitates*

Vide Præfat.  
in hist. Bohem.  
Ænea Silvij  
& Martinij  
C. 36.

II.  
Bonam Gu-  
bernatione  
felicitas cõ-  
sequitur. ma-  
lam publica  
inopia.

Hæck A. 1363  
Hæck A. 1370

Tacit. in An-  
nalibus.

Orat. ad Jul.  
Cæsarem.



usq; eò prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt; ubicunq; gratia, timor, voluptas ea corrumpere, post paulò imminuta opes, deinde ademptum Imperium, postremò servitus imposta est.

## III.

M. S. Vita.

Plutarch. L. Apophth. ad Cas. Trejan.

## IV.

Cur ad Statuam VEN. Arnesti jaceat Leo.

Oeconomicam Arnesti prudentiam, cum de ejus operibus publicis & privatis agerem, laudavi; Ecclesiasticam, Statuta & fundatus sub eo Archiepiscopatus, & scripta ab eo monumenta ostendit; Politicam, Aulae Ministerium, & tot Legationes susceptae comprobant, ut meritò in Manuscriptis Magni Consilij Vir appelletur Arnestus. Sed nullum majus prudentiae documentum, quam ad omnem regnandi gloriam excultus Caesar Carolus, cujus consummatissimi Principis ideam quandam expressit toto libro vicefimo secundo historiae suae Episcopus Dubravius; fuitque, Caesari velut Zopyrus (nam Arnesto, verba sunt Dubravij, rerum omnium Caesar fidem habebat.) quem Zopyrum centum Babylonibus Darius legitur aestimasse. Ex hoc igitur felicissimo, & numeris omnibus absoluto Principe, Effigies quaedam Arnesti componitur, in qua divinam ejus prudentiam liceat intueri. Nec vacare mysterio credendum est: Leonem marmoreum in Tumulo Arnesti ad ejus statuae pedes jacere, ut hodièque videmus; significare enim antiquitas, atq; ut suspicor, Carolus ipse Imperator, adjecto signo voluit: Leonem, qui Regni Bohemiae Insigne est bello Mediolanensi partum, Arnesto Magistro & Ministro usum olim fuisse; ad ejus pedes abjectum excubare; & tanto amisso Patre ingemiscere.

Hæc pauca de VEN. Viri prudentia; nam quæ prioribus libris adduxi, cuilibet prudenti possunt sufficere.

Venerabilis ARNESTI multiplex, profundissimæque doctrina,  
& omnibus scientijs excultus  
animus.

CA.



## CAPUT XII.

**P**rudencia sine Scientiarum praesidio aegre dignitatem obtinet, aegrius etiam tuctur. Longa res est aetate, & rerum usu prudentem fieri; at usus litterarum & sapientiae, brevissimum aperit ad Prudentiam iter: authoritate prudentiae comparata, pabulum quoddam humano ingenio debet offerri, quod sine scientijs ubi tandem invenietur? *Arnestus* utrumque ad res gerendas attulit, ut & prudentum doctissimus, & doctissimorum prudentissimus haberetur. Ab aetate prima, omni cupiditate in litterarum studia ferebatur. Ut morsu a dipsade sitiunt ad mortem; sic juvenilis ejus animus, gustata semel scientiarum dulcedine, anhelabat, neque jam passibus, sed ut incitatus cursu sol, per stadia volare videbatur, illudque ientebat, & repetebat identidem, quod protulit Seneca: *Nisi ad haec spectanda, & scientias comparandas, admitterer, non erat opera pretium nasci.* Grammaticis, Musicis ac Rhetoricis, quantum aetas illa patiebatur, excultus, ad Philosophiam & Theologiam accessit; attingit etiam Geometriam & Astronomiam, neque Graecam eum & Hebraeam ignorasse fatebitur, quisquis ejus *de Matre DEI* librum evolverit; quam ibi perfecte definit, quam partitur subtiliter, quam clare rerum naturam ponit sub aspectum! *de luce* quam lucide & philosophice disserit, ut longe illustriores ipsa luce oculos habuisse sit visus: Stellarum Epicyclos accuratè, alibi Coelum Crystallineum explicuit disertissime; Usus magnetis in re nautica nullus tum erat, tamen fieri posse, ut eum usum praebeat, demonstravit; licet non magneti eam vim tribuat, sed adamantini. Definitiones magnà parte ex divino *Aristotelis* ingenio petitas observabis. Et si verò Hebraicæ linguae imperitum se aliquando scripserit, tamen id facile ipse refutavit, & suo se gladio jugulavit, cum Hebraea quaedam Hebraeis, Graeca Graecis litteris in autographo annotavit. In historia Naturae percuriosus, *Avicennam* praecipue, *Dioscoridem*, ac nescio quem

I.  
Scientiarum  
profunditas  
in Arnesto.

L. 1. Quae.  
Natur. in  
Praefat.

II.

C. 7.  
C. 30]

C. 7.  
C. 15. levitatu  
definitio ex  
Arist. C. 16.  
nebula C. 31.  
hinc idè, &c.]  
C. ult.  
C. 121. C. 130.  
C. 33.

III.

Z. 2. 2

C. 7.



*Cervarium*, familiares habuisse & legisse diligenter videtur, quorum autoritate sua solet tueri; vide quæ de aviculis innumeris, ex putri abiete in Oceano nascentibus, curiosè indagavit. Sacrarum verò litterarum tantam in eo libro notitiam ostendit, ut nihil in medium proferat, quod non Bibliorum autoritate confirmet; Templi Jerosolymitani Tabernaculum, areas, atria, propitiatoria dimensus est accuratissimè; genealogiam Beatissimæ Virginis & S. Josephi tam diligenter pertexuit, ut non facillè inventionem, qui diligentius & feliciter eo in labore sit versatus. De Chymia cum loquitur, eà semper facit audaciã, tamque proprijs illius artis vocabulis utitur, ut non Theologum, sed Chymicum te putes audire. Pulcherrimum illud & ingeniosum Chymia inventum, *vitri videlicet confectioem, & auri preparationem*, Chymicis vocibus cum cura explicatam, sapius leges. Jam verò in Theologia quàm firmo & securo processerit gradu; quàm piè & doctè & sanè de *Immaculata DEI Matris Conceptione* senserit, quàmque illustribus argumentis rem tantam probãrit, R. P. *Eusebius Nierembergus* multis ostendit. Ordinem actuum divinorum in Filij DEI Incarnatione magnã scientiæ securitate, claritatèque doctrinæ composuit, uti si è Cathedra loqueretur, idque eà tempestate, quã sol ille Theologorum *D. Thomas Aquinas* nondum Academijs, nisi perpauca, illuxerat, quo postea ingenijs omnibus lucente, quid mirum est sequentes ætates tam multa vidisse? At *Noster Arnestus, Richardo de S. Victore, & Alexandro* (quem egregium Majestatis amatorem, & indagatorem appellat) contentus esse debebat.

VI. Has igitur omnes, quas enumeravi, Scientias tenebat *Arnestus*; at in utroque Jure Civili, ac præcipuè Canonico, animus ejus habitabat. Id sæculo illi fortasse tributum: nulla enim ex scientijs id temporis florebat magis, nulla plures habebat sectatores, neque ulla ætas (quod historiæ docent) plures & sapientiores tulit Jurisconsultorum Magistros. *Quatordecim* ipsis annis *Bononiæ & Paduæ* operam Juri dedit, & Licentiatus, ut vocamus, honore ornatus est, cujus doctrinæ non *Mariale* tantum, sed

*Accursius* 1279  
*Ioan. de Blansco* 1256. *Innocent. IV.* 1254  
*Ottobred.* 1265.  
*Jacob. Belluacen.* 1270. *Richard.* de *ma-*  
*lin umbr.* 1300  
*Jacob.* de *Bur-*  
*rigarijs.* *Ol-*  
*dratu.* *Cynus.*



sed multò magis *Statuta* præbere indicium possunt, quibus Juris Ecclesiastici Regulas, ut videmus, adjecit.

His adijce summam *Arnesti* in dicendo gratiã, & artes Concionum, quibus populus admirans tenebatur, & ratione & voluntate victa movebatur. Ejus cœlestis ad populum Oratio Citharæ videbatur persimilis, quam peritissimus artifex canendi percurreit. Nam eadem sæpe chordâ, varietate maximâ, nunc acutum, nunc gravem, nunc altiorem, nunc varium, nunc stabilem edit sonum, & una sæpe plurium voces implet; sic *Arnesti* mens & lingua, ut plectrum, tot inter Scientias, velut inter chordas oberrans, mirâ arte tangebatur omnia, & ex omnibus, quod maximè consonaret, nôrat eligere. *Mel & lac sub lingua ejus*; quam sententiam ad sacros Oratores *Nyssenus* accommodat, quorum auditores, ut *Columbæ* in Canticis, lacte lavantur, melle reficiuntur. Nimirum tot tantisque scientiarum præsidij excultum pectus, tam divinis imaginibus & ideis ornata mens, quid aliud quàm sapientissimos partus proferret? quid immaturum, & non vitale pareret! Atque utinam ex cineribus, ut *Phœnices*, sic libri nascerentur, aut certè resurgerent divina reperta, & Volumina illa, quæ magno numero scripsisse perhibetur, aliquando prodirent è latebris! tum enim verò penitus inspicere sensa illa divina, & falices cœlestis hujus ingenij radios admirari liceret, ac fortassis *Arnesti* nomen inter celebratissimos Ecclesiæ Scriptores legeretur.

*Ioan. Andreas*  
1328. *Fratres 3*  
*de Ubaldu.*  
*Barth. de Sa-*  
*liceto, Bartolus.*  
*Hæc ex Fichar-*  
*do in Utu lo-*  
*ruconsultorum*  
VII.

*S. Greg. Nyss.*  
*homil. 9. in*  
*Cantica.*  
*S. Bern. sermo*  
*67. in Cant.*  
*S. Chrysost.*  
*hom. 8. in Ep.*  
*ad Hebræos*  
*Vide interpre-*  
*tes Tsal. 118.*  
*quàm dulcia*  
*saucribus meis*

Venerabilis *Arnesti* singularis  
in DEI Matrem amor & pietas; te-  
nerrimâq; in animo memoria.

Zz 3

CA



## CAPUT XIII.

Aqua sunt hu-  
mana Scientia  
Greg. hom. 22.  
in Evangelia  
Ambr. lib. 5.  
Irenaeum, C. 21.

Mariale C. 76.

I.  
B. Virginis  
amori totum  
se dedit  
Arnestus.

II.

III.

IV.

V.

**A**ffluxisse à scientijs lac & mel in *Arnesti* linguam, dixi; sed sterile illud & aqueum sine dubio, ab aquosa & timida scientia, futurum erat, nisi ille linguam sapius intinxisset in corde, in quo *castra quadam mellea*, ut vocat Ambrosius, dulcissimus Dei & Beatae Virginis Amor fixit; quam *Virginem Apiculam* esse, & in cor Iusti cum Sanctis Angelis mella & manna comportare, ipse *Arnestus* in *Virgineo* suo libro disertissime probavit. Et verè liber hic mel quoddam virgineum, & auroræ hujus cœlestis ros videri potest, ita dulcedinem plusquam melleam, nectârque & ambrosiam sapit. Ex hoc uno libro, si reliqua abessent omnia, quantus fiterit *Virginis Amator Arnestus*, possemus non modò conijcere, sed manu quodammodo tangere, & venam illius amoris, ut Medici solent, tenere. Ortum hic amor non ex futile causa sumit in ipsa *Arnesti* adolescentia, cum Virgo beatissima, ut pridem narraui, averso vultu, moxque iterum reddito, quid ab *Arnesto* suo peteret; ostendit, ut fortius simulato contentu, spe tamen redeundi relicta, amor adolescentis irritaretur. Nec ferè talia visa, nisi viris sanctissimis, offeruntur, & quos divinitas ab aeterno suæ Parentis honori destinavit. Audenter igitur & ardenter in amorem cœlestem ingressus *Arnestus*, ad mortem usque perduxit, magnâque vis amoris magnis documentis est probata: ejus honori complura erecta Tempia; fundata Cœnobîa, eaque omnia à *Beatissima Virgine* appellata; scripti de ejus *Laudibus* libri; *Sacrâ* sub auroram de *Beata Virgine* instituta; nec nuda sibi relicta, sed fundata censibus, & perpetuis Musicis, & *Litteratorum Sodalitatibus*, ut vocant, ad aternitatem honoris firmata. Intererat quotidie Sacris, dum in aurora canerentur, Archiepiscopus, & laudes *Beatissimæ Virginis* exquisitis cærimonijs, & magnâ significatione honoris cum Prælatorum Ecclesiæ Choro, altâ voce legebat, & quidquid Sacerdos ad aram diceret iterabat; ad eandem honorandam par-

vum.



rum, quod vocant, officium, post mediam noctem cum Capellanis perolvebat; quotannis uno Mense Przbami, aut Glacij abditus, uno servato conscio, uni dilectæ Virgini serviebat; eoque progressus amor est, ut, quod novum amoris est genus, in ejus gratiam religiosam vitam cogitârit amplecti, expetieritque à Summis Pontificibus, sed impetrari facultas non potuit; Beatissimæ Virginis Imaginem suorum itinerum Comitem, quocunque proficisceretur, habebat; ejus statuas jubebat effingi & Templis donari, ex quibus illa quoque statua *S. Montis* prodigiosa, quam nunc veneratur Bohemia, & sentit imperantem; néve in Templis oculi aliud, quàm amatam Cœli Virginem, possent videre, in fenestris Templorum, amansium more, vitris inuri & depingi ejus Imagines jubebat, quæ se flectentem ante Mariæ thronum, omnésque honores ac dignitates donantem, exprimerent. Sed duo præcipue *Arnesti* in Dei Matris honorem inventa laudantur, quæ Bohemia universa probavit, hodièque usurpat (utinam, dum Nova, nescio cujus gloriæ cupiditate, consecramur, vetusta, tot sæculorum usu probata, manifestâque in vulgus utilitate commendata, non negligeremus!) duo, inquam, hodie ab *Arnesto* usque retinentur: *Rorate, & Salve. Rorate*, Catholica apud Bohemos antiquitas vocat, Missæ Sacrificium matutinum cum Cantu, quod eo tempore, quo partus Virginis expectatur, & *Adventus* (notâ Templis voce) dicitur, peragi solet, frequentissimo populo ante lucem ad Ecclesias affluente, & Sacrum illud de *B. MARIA* audiente, & sub eo appositas veteresque Cantiones modulante. Id Sacrum invènit, aut in Patriam induxit *Arnestus. Salve*, Jejunij verni tempore potissimum (aliquibus in locis omni per annum die) honori Virginis, sub *Completorijs* tempus, cani solet; sed ea res multis alijs Cantibus & precibus permiscetur, ut justam dimidiam, aut etiam integram occupet horam.

Perennant hodièque pulcherrima *Arnesti* inventa; & perennent, ut *Diva Virgo* sanctis hisce blanditijs populorum placata, *cadenti Patrie succurrat!* Porrò *Virginem Beatissimam*, Venerabilis *Arnestus* amantissimis semper appellat nominibus, neque

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.

XII.

XIII.

XIV.



Narratio visio-  
nis Glacensis  
lib. 1.

Erecl. lib. G. 1.

Data Przibea-  
mi. A. D. 1358.  
die X. Mensis  
Iulij.

neque facile ejus nomen, sine præfatione honoris, legitur expres-  
sisse; amorem enim penna sequebatur. In brevi illa narratione  
quàm varijs usus est titulis! jam *Venerabilem Matrem DEI Vir-*  
*ginem*, jam *semper Virginem*, jam *gloriosam*, jam *sanctam*, *singula-*  
*rem protectricem*, & *miseratricem peccatorum* nominavit. Vidi  
nuper ex Ereclionum libris transcriptas *Arnesti* litteras, in qui-  
bus XL. dierum Indulgentias *Ecclesie B. Virginis in Ginetz* ijs  
omnibus, qui Sabbatho Missæ cantatæ eò loci interfuerint, lar-  
gitur; earum litterarum hoc initium est: *Arnestus DEI & A-*  
*postolicæ Sedis gratiâ Sanctæ Pragensis Ecclesie Archiepiscopus, &c.*  
*Dominum Nostrum IESVM Christum credimus habere propitium,*  
*si gloriosam Virginem MARIAM ejus Genitricem devotè ho-*  
*norari procuremus in terris, & fideles etiam ad laudem & obsequium*  
*ejus invitemus, &c.*

XV.

Plura hujus in Divinam Matrem Amoris documenta spar-  
sim in prioribus libris invenies, quæ nunc repetere non vacat.  
Ultimum illud ab *Arnesto* in terris agente facinus editum: quòd  
ultimâ voluntate non alium sepulchro suo locum, quàm Tem-  
plum Divæ Virginis *Glacense*, delegit, vestrûmque mortui corpus  
magnis viginti & ampliùs milliaribus ad sepulchrum, ut post  
mortem ante ejus effigiem, quam vivens adamârat, habitaret.  
At *Diva Virgo* vicissim in amore vincisse turpe existimans, omni-  
bus humanis divinisque bonis cumulavit *Arnestum*, & nunc cu-  
mular in celo. Ingeniosè *Plurarchus Alexandrum Magnum*  
*virtutis opificium* appellavit; ego nihil dubitem *Arnestum* *Bea-*  
*tissimæ Virginis opus & artificium*, atque, ut nunc aula loquun-  
tur, *MARIE Creaturam* appellare. Itaque ut *Conjuges ra-*  
*dijs marivorum fulgere* dicuntur, ita vice versâ *Arnestus*, castissi-  
mæ Virginis amator & sponsus, beatissimis ejus radijs effulsit.  
Sed neque id virgineo honori indecorum quis putet: nam si  
Mundus mulierum sunt viri res gesta, tanta in virtute facinora  
edidit *VEN. Arnestus*, ut non parva virgineo maternique hono-  
ris facta videatur accessio, ex eo, quem sibi ipsa sponsum delegit,  
*Arnesto*. Valeat hæc, quod ipse, de luce disputans, scripsit: *Luce,*

Arnestus à B.  
Virgine di-  
lectus.

L. Consulto.

Plutarchi. lib.  
de Musica.



C. XIV. ILLUSTR. SENTENTIÆ DE B. V. EX ARN. 371  
 inquit, educit nubes ab extremis terra, & MARIA de peccatori-  
 bus & pauperibus Mundi hujus egregios facit Prelatos, & Prædi-  
 catores. Proverb. 8. Lux in visceribus terra argentum vivum, quod  
 est, ut dicunt, venenum omnium creaturarum, convertit in aurum:  
 & MARIA de pessimis & desperatissimis sæpe facit optimos & devotissi-  
 mos. Eccl. 24. Penetrabo inferiores partes terra, & dabo pro terra sili-  
 cem, & pro silice torrentes aureos, id est corda saxeæ faciam aurea.  
 Lux in profundo maris inter arenas in conchis vilibus, & abjectis  
 nutrit & fovet pretiosissimas margaritas: & MARIA inter pau-  
 peres & abjectissimos Mundi hujus sæpe efficit, nutrit & fovet ani-  
 mas pretiosissimas & DEO dignas, & hi sunt thesauri absconditi are-  
 narum. Deut. 33. Eccl. 24. O Arneste, Venerabilis Antistes, fal-  
 lor, nisi converso nomine de te Fabula cantatur!

Illustriores quædam de Matre  
 DEI Virgine sententiæ, ex Libro Ma-  
 riali VEN. ARNESTI excerptæ.

CAPUT XIV.

**I**ncipiamus à Titulis, quibus dignitatem Virginis Arnestus  
 honoravit: Vocat eam *Medium DEI & hominis*, ejusque of-  
 ficiū esse conservare nos in statu gratiæ, ipsa enim & Ma-  
 ter & nutritrix nostra est; vocat *optimam consolatricem*, quæ  
 aquas omnes nostras fecit converti in vinum, & dolores in gau-  
 dium. Alibi Beatissimam Virginem *serorem suam parvulam* au-  
 daci amoris affectu compellat; & alio in loco antonomasticè:  
*ita inquit, Regina mea*. Sed & *Aviam nostram* ex eodem affectu  
 vocavit. De MARIE nomine: *sicut oleum effusum nomen sponsi, ita*  
*balsamum effusum nomen sponsæ; nomen utrumq; benedictum in sa-*  
*cula.*

2.  
 C. 71  
 Ibid.  
 C. 56  
 C. 120  
 C. 122  
 C. 63

A a a



cula. Illud ad illuminationem gentium, istud ad sanitatem gentium: oleum enim illuminat, balsamum sanat, &c. Pulchra illa de sagitta: Illa est sagitta Ionathæ, id est, Christi, quæ nunquam abiit retrorsam, quæ nunquam tam durum invenit obstaculum, quod non facillimè penetravit: ista est sagitta, quæ caput iniquorum Iulianum Apostatam interfecit.

II. C. 26. Sæpe affirmat DEI Matrem non animâ tantum, sed formâ etiam corporis venustissimam, & incredibili esse pulchritudine. C. 129. id probat ex eo, quia JESVS est speciosus præ filiis hominum, qui tamen genitus esset in similitudinem Matris suæ. Vide locum puicherrimum.

III. C. 64. Affectus MARIE omnia Arnesto jucunda reddebat: Ex bonitate Virginis, inquit, est, quòd si studes aut legis, si conferas aut doceas, nihil palato sapidius Lectoris, Doctoris & Auditoris, quàm sermo de ea factus: quidquid ubiq; emerferit, erit quasi condimentum omnium, quæ dicuntur.

IV. C. 100. De Mansuetudine DEI Matris multa sibi semper promittebat Arnestus: Appellat eam lectulum: quid ad MARIAM accedere trepidat, humana fragilitas? nihil in ea austerum, nihil terribile, tota suavis est, asserens lac & lanam. Revolve diligenter Evangelicæ historia seriem universam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quid denig, vel tenuis indignationis occurrerit in MARIA, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si, &c. Alibi asserit eam ipsi Justitiæ divinæ aliquando prævalere: do tibi consilium optimum, ô Peccator! si gravat Te iniquitas tua, si tibi in foro Iustitiæ ipsa veritas, quæ se negare non potest, adversatur; si adversum te Terra clamat; si pugnat Orbis terrarum, Apostolos pete, Mariam invoca, ad Mariam appella! ad forum misericordiae, &c. ad thronum gratiæ, ut docet Apostolus, cum fiducia accede. Est enim Lex Clementiæ in lingua ejus, & hujus legis gratiâ duo tibi faciet: revocabit in irritum, quidquid contra te fuerit attentatum, aut etiam definitum, & ad omnia deperdita restituet te in integrum (Job. 12.) & in omni sententiâ, quam pro te dabit,

Nota quid Apostoli in Iure sint.

Proverb. 31.



C. XIV. ILLUSTR. SENTENTIÆ DE B. VEX ARN. 373  
dabit, apponet illam Clausulam gloriosam, Imperialem, atq, Papalem,  
quæ incipit: Non obstante. Hæc omnia Arnestus!

De Beatæ Matris potentia præclara sunt illa: sicut absente  
Rege terreno Regina Regnum gubernat, ita quando Rex noster  
Christus ex aliqua causa faciem suam abscondit, tum *MARIA*  
maximè misericordiam suam ostendit. Et alibi: sicut Pater omne  
judicium dedit Filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant  
Patrem; ita Filius opera sua & beneficia, quæ fecit nobis & facit,  
adscribit Matri, ut omnes honorificent Matrem, qui honorificant  
Filium.

Quàm suaviter sæpe ad amandam DEI Matrem invitat,  
optat ut quisque magnâ voce & devotione clamet in corde suo  
frequenter: *Magna est MARIA!*

Sublimis ille, & prorsus ecstasticus, ut vocant, affectus est ex  
ingenti idea B. Virginis natus, cui similem alibi non inveni: pro-  
pter quod, ait, & miracula, quæ in libris miraculorum *MARIÆ*  
scribuntur, & quæ per totum Mundum quotidie operatur, quasi nihil  
reputo, aut permodicum, ut inter laudes & glorias tanta Celsitudinis  
reputentur.

Sensit Arnestus immaculatam Virginem immaculatè con-  
ceptam, idque reperit sæpius; quod testimonium tanti Præsulis  
multum commendat R. P. Nierembergii. Sensit etiam, primam  
votum Virginitatis emisisse. Axioma Arnesti, Conceptionem im-  
maculatam probantis, est: *Quidquid præ Creatura dari potuit,  
MARIÆ datum est.*

Super illud Cant. 2. *Sicut liliam inter spinas*, ostendit, san-  
ctas animas, DEI Matri comparatas, spinas esse. Audax dictum!  
sed tactâ ibidem explicatur gratiâ, ut assensum exprimat à Le-  
ctore. Idem post Arnestum dixit Dionysius Richelius.

Corporis pudicitiam & integritatem Virginitatis optimè  
conservari affirmat, si DEI Mater ametur: qui ad hanc perfectis-  
simam Castitatem pervenire festinat, optimum ei do consilium, ut flo-  
res & folia Agni casti, id est, preces & merita B. Virginis diligenter  
requirat, & sibi semper substernat, & in ipsis, non in propria virtute,

V.

C. 6.

C. 5.

VI.

Sub finē C. 22.  
C. 6.

VII.

C. 133.

VIII.

C. 5. C. 124.  
C. 13. C. 150.  
Nierembeg. in  
Exceptionib.  
Conc. Trident.

IX.

C. 75.

In Cantica.

X.

C. 61.

B. Virginis  
amor præfi-  
dium Casti-  
moniz.





c. 13.

confidat, dormiat & requiescat. Suadet alibi, ut DEI Matrem loco cordis habeamus: ut sit tibi cum ipsa cor tuum, & anima tua; plurâque in eam sententiam.

XI.

c. 16.

Quantus ille affectus omnia MARIE verba numerare! In colloquio, ait, *MARIE* cum Angelo invenimus vocabula, quæ de ejus ore processerunt 15. In Colloquio ejus cum filio 13. In verbis ejus in Nuptiis 7. In Cantico ejus 92. quæ omnia simul collecta faciunt 127, juxta numerum Provinciarum, super quas regnare perhibetur ille beatus Assverus Rex noster, &c.

XII.

c. 16.

c. 7.

Imago Beatissimæ Virginis,

Pulcherrimo dicendi caractere inducit Beatissimam Virginem cogitantem ante Annunciationem, quænam DEI Mater sit futura, quæ cum de se minimè omnium cogitat, seipsam alloquitur: ô *Virgo virginum!* ô *Mundi salus,* &c. Ostendam tibi, ait, alio in loco, *stellam Matutinam in medio nebula!* pone ante oculos mentis *Mundum istum caliginosum & tenebrosus,* qualis fuit ante ortum stella hujus, cum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo censu medium iter haberet; deinde describe unam puellulam parvulam, in qua depingas quidquid cogitari potest bonitatis, benignitatis, speciositatis, gratiositatis, amabilitatis, & omne bonum, quod intelligere possis valere capere *Creaturam puram,* & in ea videre poteris quoquo modo *MARIAM,* quasi *stellam matutinam, in medio nebula.*

XIII.

c. 17.

B. Virgo sub Cruce parurivit.

Tab. 4.

Probat DEI Matrem sub Cruce dolores parturientium perpeffam, cum optaret humanum genus redimi, & tamen dolenter filium amitteret. Vide tum Virginis affectus, quos expressit, deinde subjungit: *Verè Beata Mater, & innupta Virgo, nos sumus tui Benonij, id est, filij doloris tui!* ideo dicit tibi, ô *Christiane!* Spiritus sanctus: *honorem habebis Matri tue omnibus diebus vita tue.* Memor enim esse debes, quæ & quanta passa sit propter te in utero suo. Sed adhuc addit Dominus dolorem dolori ejus: quia venerunt filij usq; ad partum, & virtus non erat pariendi.

XIV.

c. 11.

Affirmat eam pro peccatoribus vigilare de cælo: *Ipsa vigilat,* ait, *super peccatores, nè ipsi statim damnentur.* Hæc est virga illa, de qua *Ieremias* ait: *virgam vigilantem ego video.* Verè bene vidisti



*vidisti Ieremia! Quæ causa esse potest, cur multi gravissimis cooperiti sceleribus, qui omnem DEI timorem & amorem proculcârunt pedibus, ab amore DEI Matris liberare sese quodammodo non possint, eâque, velut ultimâ spe, & sacrâ anchorâ, aut naufragij tabulâ utantur, & ad portum salutis emergant. Amor Matris denique adducit ad filium, eamque ipsam fiduciam in Matrem Filius procurat: sed & usq; hodie, ait, tantam reverentiam ille optinuit, & superoptimus Filius Matri exhibet, ut multis fidelium majorem ad Matrem, quàm ad filium habeant devotionem: unde in plerisq; Religionibus omnes Ecclesia in honorem Virginis construuntur, &c.*

C. XV.

Quædam Arnesti facta & dicta, quæ divinum aliquid continere videntur, & ab Antiquitate Miracula vocantur.

## CAPUT XV.

**I**llustrem claris & heroicis Virtutibus vitam ferè comitari Miracula solent, quamvis de ijs vera, germanaque sanctitas parùm, aut nihil laboret; quæ tota suâ se virtute involvens, in Imitatione Christi, divinorumque ejus exemplorum occupatur. Illam, quæ elementa & naturam rerum vincit, potentiam, ut superbam & humanâ conditione majorem, Sanctitas ferè timet, & DEO uni debitam putat. Itaque fuere jam Viri Sanctissimi, atque inter eos quidam *D. Augustinum* referunt, qui paucis, aut nullis, quod sciamus, commendantur in vita miraculis, quorum tamen sanctimoniam in excelso gradu positam cum

Sanctimoniam  
vitæ DEVS  
plerumque  
miraculis  
exornat.



Ecclesia universa adoramus. Hâc etiam gloriâ servum suum ornavit divinitas: retuli pridem, quæ ad *Effigiem Glacensem* pertinent, tum etiam illa, quæ ad gloriosum *S. Ducis Wenceslai tumultum*, agente *Arnesto*, sunt patrata; hîc alia subijciam, plura sine dubio in Antiquitate periêre.

*Paproc. in Arnesto.  
Chronic. Glas.  
Hagek 1353.*

*S. Nicolai digitus.*

Anno 1353. *Carolus IV.* Romanorum & Bohemiæ Rex *S. Nicolao Episcopo Myrensi* deditissimus (cujus amoris & venerationis nobile postea documentum reliquit: *Sacellum ditissimum* ejus honori, cum perpetua Sacerdotum fundatione, in arce *Caroli* conditum; & alioqui curiosissimâ Pietate in Sanctorum Corporum reliquias ferebatur) ergo, ut cœperam dicere, *Carolus Bohemiæ Rex*, certis nuntijs accipit, inter Cimelia Religiosarum Virginum *S. Clara*, in Veteri Urbe *Pragensi*, ejus sanctissimi Præsulis servari Reliquias (honoraverat olim eo sacro munere, A. 1252. Summus Pontifex *Agnetem Regis Wenceslai Filiam*, Virginem clarâ miraculis, & Sanctarum Catalogo adscriptam) lætus hoc nuntio Pijssimus Imperator, Parthenonem Religiosum ingreditur, vocatâsq; sacras DEO virgines in hunc modum latine alloquitur: *Amate DEO sponsa! relatam est nobis, vestram Ecclesiam raris quibusdam, & pretiosis Reliquijs à primis Fundatoribus ornata esse: an igitur impetrare possumus, ut eas inspiciamus & honoremus? eam gratiam nos estimare sciemus, & regio favore in posterum prosequemur.* Virgines religiosæ, reverentiâ Majestatis, non dicto, sed humili significatione cultûs respondent, statimque omnia Ecclesiæ suæ Cimelia, & quidquid auro & argento inclusum servabant, proferunt in medium. Erat inter alia *S. Nicolai Myrensis Episcopi digitus*, hunc sagaciter quærebat: oculis *Rex Carolus*, & salutatis sacris pignoribus: *Charissima Sorores*, ait, *omnia vestra vobis integra sint, caterùm S. Nicolaum partiri mecum velle debetis.* Simul, cultello admoto, digitum dividebat. Res mira! cultellus stillare sanguinem & infici cœpit. Non apparebat, unde ex digito exsanguis & exsucco, effluere ea vis cruoris posset. Territus prodigio *Carolus*, involvit omnia, relictisq; uterant, rebus, properè Cœnobio discedit. Et fortasse, ut erat opti-



optimus Princeps, suam aliquam culpam & crimen cogitabat. *Arnesto* suo deinde rem totam aperit, atque ad videndum miraculum altero die secum ad Cœnobium adducit: digitus scissus monstratur *Arnesto*, articuli que separatim jacentes; tum *Arnestus*, cùm iteratò *Cesarem* perturbari videt, quasi crimine suo partefacto, positus properè genibus, ad preces conversus, DEUM orat, uti rursus articulos integrari, & coalescere sineret, mœrorémque *Pij Principis* abstergeret. Jubet deinde *Regem* accedere, & articulos jungere; statim sic coalere, ut nunquam divisos fuisse putares; lineola tantùm gracilis, & cicatricula quædam pertenuis ex priore vulnere remansit. Plenus admiratione, & incredibili solatio perfusus *Rex Carolus*, nihil ampliùs ex eo digito se desiderare Sacris Virginibus dixit, satis se magna divinæ voluntatis indicia habere; simul commendatâ Sacris Virginibus Regnorum incolumitate, & Imperij curis, abivit.

Ad Arnesti preces digitus S. Nicolai scissus coalescit.

Memoravit hoc quoque miraculum ad *Arnesti* præsentiam patratum, *Wenceslaus Hagecius*, at cujus id precibus datum sit, non adiecit: Manuscripta vetusta duo, *Glacense* & *Saganense*, disertis verbis tradunt: *digitum S. Nicolai, quem D. Carolus Imperator dividere voluit ad duas Ecclesias, cùm per incisionem inciperet cruentare, VEN. Arnestum Archiepiscopum suis ad DEVM precibus redintegravisse.* Rarum & pulchrum miraculi genus, in mortuo membro tanti Præsulis editum, quo, velut indice digito, sanctimoniam *Arnesti* comprobavit divinitas, & *S. Nicolaus*, dextrâ totâ amico Præsuli portectâ, recepit. *Isidis*, & *Serapidis* simulacra, digito indice ori appresso efficta, hoc significare scripsit *D. Augustinus*, ut homines eos fuisse taceretur; hîc digito, silentio precum curatus ab *Arnesto* vim divinam prodit, & loquitur. Et credat etiam nunc aliquis ab *Arnesto*, per humilitatem, familiari usitatâque sanctissimis viris voce, scribenti: *Manus suas sanguine peccatorum esse plenas, qui etiam manum S. Nicolai, & digitum mirabilium operatorem, & sanguinem co fluentem stiterit, ac novo merito perfanarit?*

Chron. (Glacense) Michaelis Præpositi.

Catal. Abbat. Saganensium. M. S. in Theodorsico.

Arnestus S. Nicolai digito sanat.

S. Aug. l. 19. de Civit. Dei. Politianus in Miscellan. c. 23.

Arnestus in Narrat. sive Visione.



## Gemina Arnesti Vaticinatio, & pluribus conferta miraculis.

### CAPUT XVI.

**L**onga nimis Sanctorum Virorum providentia est, quoties eorum mentem, ut solet, futurorum cognitione & præscientiâ complet DEVS; id adeò ex gemino VEN. Arnesti Vaticinio colligere licet, cujus prioris veritas, post aliquot sæcula, nostrâ demum ætate, cœpit apparere. *Ani- ma viri sancti*, ait Ecclesiasticus, *enunciat, aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Jusserat Arnestus plurimorum Sanctorum exemplo, ut memoriam suam mortis admoneret, extrui sibi viventi sepulchrum in *Diva Virginis* Templo apud Parochiam *Glacensem*, coram eâ *Beata Maris* Effigie, quæ vultum averterat à puero. Malè id accepere *Canonici Regulares S. Augustini*; quippe speraverant Arnestum, ut Templi Cœnobiique sui Fundatorem, in eodem sinè dubio Templo, arci *Glacensi* adsito, sepulturam habiturum. An enim cogitare poterant, amantissimum Ordinis sui *Præsulem* & Patrem, qui inter *Canonicos*, depositâ dignitate, & abjectis honoris Insignibus, sæpius vivere & mori optâisset, qui tantis beneficijs, & quatuor ditissimorum Cœnobiolorum Foundationibus eos ornâisset, in Templo *Beatissima Virginis* pulcherrimo, quod statuisset, in quo perdius & pernox quotannis habitâisset, sepeliri nolle? Id, simul innotuisset, omnibus mutata & aversa à *Canonicis* voluntatis, signum visum iri. Perstabat tamen Arnestus in sententia; eumque multis precibus *Canonicorum* fatigaretur, tandem, quod sibi revelârat Dominus, aperuit: Templum scilicet illud, quod *Diva Virginis* honori condidisset, æternum non fore, sed *hæretico-*

*Isid. 39.*

I.  
*Vita S. Joannis  
Elemosynarij  
apud Surium.*

† 1718



rum aduncis manibus post multa tempora lacerandum, diruendum; atq; ex eo Equorum sibi stabulum deniq; improbissimos homines facturos. Jactabatur hæc & volitabat vaticinatio tribus ferè sæculis, & demum ætate nostrâ finem accepit. A. 1618. Societate Jesv, edicto hæreticorum Statuum, odio procuratæ & auctæ Religio- nis, solâ, ex omnibus Religiosorum hominum Ordinibus, Bohe- miâ, Moraviâ & Silesiâ excedere jussâ, & ignominiosè undique ejectâ, Collegium Glacense (quod in Præposituræ locum, ut antè narravi, successerat) expilatum primùm est, ablata omnia cum pulvisculo, neg; clavus (ut scribit Prædicans Ælurius) neg; lignum remansit; deinde paulò post ædificium omne (subjecto forsitan occulto igne, nè spes ulla reditûs appareret) conflagravit. Da- mnnum quoque, ob vicinitatem, Templum Divæ Virginis, à VEN. Arnesto conditum, sensit; nam ignis transiliens, maximam ejus partem delevit. Spoliationem illam Collegij, & incendium secu- rum, Friderico Palatino displicuisse, narravit, qui tum aderat, Prædicans Ælurius; at idem Fridericus, extremam vaticinij par- tem, suo sacrilegio, ignarus implevit: namque A. 1620. com- misso ad Pragam prælio, castris & Regno exutus, & Glacium sese recipiens, cum ad hoc ipsum Beatae Matris Templum fugiens per- venisset, & equo descendisset, continuò Aulici suos omnes, Re- giõsque Equos in Templum ad summum altare inducere, eoque in loco bidnum (15. & 16. Novembris) stetere. Simile dedecus A. 1622. perpetratum: Fœnum ibi Prædiarij Glacenses & stram- en, atque ipsos equos satis diu (totâ videlicet obsidione) ser- vabant, dum denique hæ ipsæ ruinae (nam adhuc pars anterior & prora Templi perstabat) deformatae, ad munitionem arcis verterentur. Sed ante Fridericum stabulatos in Templo hæreti- cos asserit, qui jam unicus ex illius Collegij Nostri Patribus, dum hæc scriberentur, supererat, R. P. Balthasar Morholtz S. I. qui hæc ad me scripto misit: Prædixit, inquit, VEN. Ernestus Tem- plum illud sub arce stabulum futurum, atq; ad eò noluit eo loco sepeli- ri; quod contigisse post expulsionem nostram comperit R. P. Ioannes Hoffman Rector noster; nam Nobilis quidam ibi suos Equos habe-

B b b

bat.

Vaticinium  
Arnesti no-  
strâ primùm  
ætatē finem  
accepit.

In Glaciog.  
lib. 3. Cap. 3.  
sect. 2.

Loc. cit.

B. Virginis  
Templum ab  
hæreticis in  
stabulum E-  
quorum con-  
vertitur.



*b. d.* Hucusque senis optimi verba. Respondit igitur suis vaticinijs eventus, atque *Arnesti* sacrum corpus illæsum, intactum, & sacrilegio iniolatum, singulari Dæi beneficio, qui *custodit omnia ossa Iustorum, ut unum ex eis non conteratur*, in Templo inferiore conditum, vim & incendium vitavit. Rem totam *Glacensis* historiæ Scriptor, qui Templum, & in eo deinde stabulum, viderat, licet hæreticus, victus veritate narravit; idemque habet præfixa *Arnesti* operibus, & à Reverendis. Metropolitanæ *Pragensis* Ecclesiæ Decano *Andrea Koky* censa, & probata Narratio.

*Zec. cit.*

II.

*Arnesti marmoreum sepulchrum mirabiliter in frustra diffractum.*

Alterum vaticinium ex *Proœmio Marialis Libri, Praga* editi, recitabo: *Constans fert traditio, Ernestum prophetia dono claruisse.* Mox, narrato exemplo superiore, subiicitur: *Illud etiam prædixisse ajunt: cum sibi monumentum marmoreum vivens adhuc construxisset in Ecclesia Crucigerorum S. Ioannis Glacii, & statuam suam, habitu Episcopali, è solido lapide (marmore) superponi fecisset, dixisset ubi lapis ille rumpi sua sponte inciperet, magnam Religionis mutationem futuram; quod circa Rokyczane, hæretici Sacerdotis, qui Pragensem Archiepiscopatum occupare invitis Catholicis tentarat, sub Georgio Podiebradio factum ajunt. Ad hoc, hucusq; dissoluta est Statua illa, ut vix aliquid forma retineat, & novis in dies rupturis hiare videatur. Vbi verò tota foret comminuta, veterem Religionem ubiq; restituendam, vulgò ab ipso prædictum ferunt.*

Subscripsit huic quoque Narrationi Reverendis. *D. Andreas Koky* sanctæ *Pragensis* Ecclesiæ Decanus. Illud, qui sepulchrum spectarunt, mirantur: marmor eâ ratione rumpi, ut quasi framearum ictibus, per medium aliquot in locis secari videatur, quod periti statuarij lapidibus & marmoribus, dum sponte aut vi rumpuntur, nunquam accidere affirmant. Omnia hæc, quæ attulimus, *Elurius Glacensis Prædicans* in historia sua pridem narravit; unum illud de veteri Religione reducenda, nè forsitan hæreticos suos percelleret, omisit. *Mutationem tamen Religionis, & extremum universalis Iudicij diem*, cum totum concidisset sepulchrum, prædictam ab *Arnesto* fatetur. Cætera solita maledicentiâ linguæ conclusit, inquiens; *se non interfuisse dum*

*Hæreticorum de sepulchro Arnesti testimonium.*

*quatin*



vaticinaretur *Arnestus*, rem itaq; in medio relinquere. Quasi verò omnia, quæ antè feripfit, coram se geri vidisset, audissetve. Ad- die: spectasse se per diligentem, & lustrasse *Arnesti* tumulum fre- quenter, animadvertisse Statuam ejus dilabi & concidere, annisq; singulis lapillum aliquem abscessurum prædixisse; neque tamen unquam scire se, aliòsve potuisse, unde id marmori accideret. Nimirum apud hæreticos, quibus divina Fides semel viluit, omnis humana fides, imò & oculorum conscientia, vilescit, vixque illud, sinistro affectu occupati & hæresi indurati, verum esse arbitran- tur, quod vident. Sed magnum tamen ab hæretico homine, hoc testimonio, veritati pondus accedit.

Lapsus in hujus continui miraculi narratione nuper est no- vus Scriptor, ut fit, dum in historijs scribendis properatur; qui sepulchrum *Arnesti* rumpi cœpisse primùm, ante nupera *Bella Germanica* scribit; at Manuscriptum, & Marialis Proœmium, tum *Ælurinus*, ad Rokyczanæ tempora rupti marmoris miraculum, retulerunt. Quæ sine dubio ipse legit, sed nimirum non animad- vertit. *Omnia res*, ait Artabanus apud Herodotum, *properando* (præcipuè in historijs) *innumeros parit errores.*

## Sepulchrum VEN. Arnesti o- leum, sudori humano simillimum, stillat.

### CAPUT XVII.

**S**epulchra Sanctorum gloriosa esse, & multis sæpe divinitus miraculis illustrari, passim in sacris historijs legimus. U- num omnium pulcherrimum Gloriæ genus habetur, cum *corum Tumulis oleum* erumpit; id decus *S. Catharina*



Virgini, Martyri & Magistræ, à sponso Cœlesti datum accepimus. Gaudet ex Sanctis suis laudari Deus, quorum Capita, velut amantissimus Pater, etiam in Tumulo sustentat. Paucis tamen, nec ferè nisi vitæ sanctimoniam inclytis, ille olei sudor concessus; qui dicere nimirum possint: *ego autem sicut Oliva fructifera in domo DEI, speravi in misericordia ejus in æternum, & in sæculum sæculi.* Venerabilis Arnesti tumulo erupisse non semel oleum, nominatimque A. 1468. in die S. Sophia, quæ Dominica dies fuit, oculatus testis Michael Præpositus Glacensis in Chronico Glacensi, quod inter manus est, scribit; tantæque copiâ, ut miraculi magnitudinem agnoscas, oleum profuebat, ut cochlearibus de Templi pavimento populus exciperet, & funderet in vitra; quodq; ego non minùs mirabile judico, non aliquâ tumuli parte, aut rimis erumpebat, sed toto sepulchri marmore, & toto Mausoleo stillabat; ut in olivæ naturam durissimum marmor, virtute divinâ, videretur converti. Abundantia hæc fuit in Arnesto, & signum cœlestis gratiæ infusæ à DEO, quem divitem in misericordia Ecclesia vocat, doctæque Villalpandus Noster ostendit: in veteri lege parcè suppeditatum oleum, vixque lenticulam unguendis Regibus fuisse; in Lege gratiæ, cœlesti tot Sacramentorum oleo, vasa & lapides impleri. Fortassis, cum Olea Mater Apum appelletur, ex qua nascuntur examina, Arnestus indicare voluit mella & ceras Virgini beatæ placere, ideoque ante ejus Effigiem mellificavit. Quod si & serpentes oleum fugiunt, & oleo necantur, ut tradit Aristoteles, forsitan extinguendis colubrinis erroribus oleum profundebat. Porrò Arnesti sepulchro erumpens ille liquor, odoris erat subdulcis, ut Historicus loquitur, & quasi de corpore humano sudore expressus, quamvis unctuosus, ut oleum, non tamen ardebat. Attoniti rei novitate Glacenses Catholici, Rudolfum Episcopum Lavantiniensem, Apostolicæ Sedis Legatum, qui tum Vratislaviæ morabatur, per litteras consulunt, isq; sæpe decrevit (verba sunt manuscripti Codicis) ut inter sacras Reliquias liquor ille servaretur: Ampullam insuper plenam ejusmodi oleo, sibi à Glacensibus missam, gratanter accepit, secumque deinde

*Pineda in Job. C. 10. v. 15. n. 5.*

*Psal. 51.*

*15. Matj.*

*M. S. Chronic. fol. 436.*

Olei ingens copia è se pulchro Venerabilis Arnesti fluentis.

*Villalp. in Ezech. Tomo 11. in C. 2. lib. 4. C. 62.*

Apostolicæ Sedis Legatus jubet sapius oleum Arnesti inter Sanctorum Reliquias reponi.



inde post annos plurimos in Italiam asportavit. Neque vice simplici illustrare *servi sui Arnesti* honorem voluit DEVS, sed rursus eodem anno oleum sepulchro manavit. Extant ea de re *Michaëlis* Prapropositi Glacensis ad *Legatum Apostolicum* litteræ, quarum exemplum recitare forsitan abs re non erit; sed ad eas intelligendas scire oportet, *Glacensem Civitatem* id temporis Interdicto fuisse subjectam, quòd *Georgij Regis* partes sequeretur. Itaque hoc *Arnesti* oleo, velut pretiosissimo dono, ad *Legatum* missio, Prapropositus & Catholici Glacenses absolvi interdicto petebant; nam cum Filij *Georgij Regis* valido præsidio Arcem *Glacensem* tenerent, quid aliud agere poterant, quàm parère? quod *Michaël* Prapropositus, pluribus litteris datis, ostendit, urgetque *Legatum*, *Braunoviensium Civium* exemplo; apud quos, etsi pessimè Catholica Sacra odissent, tamen quia *Georgio Regi* adversarentur, Sacra celebrare Catholicis licebat; cur igitur *Glacenses* optimi Catholici, necessitate victoriae *Georgio Regi* adherentes, Sacris arcerentur? sed litterarum exemplum recitemus, quas *Prapropositus* Glacensis ad *Rudolfum* Sedis Apostolicæ Legatum *Wratislaviam* dedit.

Reverendissime in Christo Pater, post  
fui humilem subjectionem, debitam  
obedientiam.

**I**ntellecto, quòd Reverendissimus Pater gratè suscepit per *Fratres* oblatum de stillicidio sepulchri *Venerabilis Domini Ernesti Primi Pragensis Archiepiscopi, Fundatoris Nostri Monasterij*, quod iterum, scilicet infra *Octavas Ascensionis* emanavit, non tamen ita largiter, sicut prius; multis verò cunctantibus, & curiosius auscultantibus, aliâq; sepulchra, & lapides Altarium perlustrantibus, an id ex mutatione aëris contingeret, omnia sicca invenerunt, præter *Mausolaum D. Ernesti* prædictum; Cogitavi quomodo ego etiam ali-

Oleum Ar-  
nesti, aliâq;  
Venerabilis  
Viri Chiro-  
grapha, pro  
munere Se-  
dis Apostoli-  
cæ Legato  
mittantur.



ternitati. Unde Chirographa scriptura presentium cum portitore vitam ipsius cum miraculo, quod ipse proprijs manibus conscripsit, & habetur Copia circa sepulchrum ejus, dirigens, rogo quatenus id, tanquam exiguum, & Vestra Reverendissima Paternitati nullius reputationis premium, placide suscipiatur; & obsecro insuper, contestor, & requiro, sub periculo perditionis animarum multarum, & fortificationis partis adverse, per viscera misericordiae DEI nostri, & gloriosa ejus Genitricis Virginis MARIAE, & praedicti Domini Ernesti, qui spiritualis, & magnus fuit ejusdem Genitricis DEI cultor (sicut patet ex Legenda ejus) ut non amplius per Censuras Ecclesiasticas, & Interdictum, sed misericorditer (quod speramus significare praedictum stillicidium) dimittatis nos circa ea, quae pie concessistis litteris, & sigillis usq; ad revocationem. Quod si factum non fuerit, ponetis nos omnes, non jam periculum expulsionis, sed privationis vitae hujus, & sine fructu, vosq; in extremo, terribili & tremendo Iudicio, severissimo atq; justissimo Iudici strictam habebitis reddere rationem, de tot animarum perditione, & malis inde secuturis. Iam experientia eorum, quae facta sunt hoc anno, & quotidie sunt, faciat, obsecro Vestram Reverendissimam Paternitatem benigniorem. Dat. Glacy, A. D. 1468. &c.

Michaël Praepositus Canoniorum  
Regularium in Glatz.

At in Chronico Glacensis Monasterij idem Michaël, manu sua (quam ex pluribus ejus litteris novi) haec in margine ad miraculi hujus narrationem adscripsit: Exitus rei manifestavit, quod liquor ille fuit lacrymarum Beati Viri, quibus deplaxit futurum Statum Oppidi Glacensis. Paulo enim post exusta est fere tota Civitas, ac eodem anno etiam omnia allodia circa Glatz conflagraverunt, aliasq; afflictiones, interdicta & Excommunicationes secuta, quae in adherentes Georgio Podiebradio, usurpatori Regni, & Rokiczana heresiarcha ferebantur, duraverunt usq; ad mortem eorum, quae accidit A. 1471. hujus quidem ante Quadragesimam, illius autem circa medium Quadragesimae. Simile legitur in historia Tartarorum, quae etiam expressa habentur



ventur de quodam Sancto. Hucusque Chronicon. Sed quam Tartarorum historiam intelligat Author, cuiusque Sancti exemplum adducere voluerit, fateor me ignorare.

Quod causam attinet, si consilia Divinitatis licet introspicere, mihi quidem longè alia videtur; quid enim unius alicujus Oppidi incendium oleo denotaret *Arneſtus*, cum *universum Regnum Bohemia, Moravia & Silesia* conflagrarent? Hoc ipso tempore *Georgius* Rex à communionem Ecclesie separaverat sese, Regis exemplum pleraque sequebatur Nobilitas, cadebant flammis omnia; in omnium rerum fatali conversione minimum è *Glacio* damnum; ergo *Glacio* uni oleum sepulchri imputare simillimum mihi videtur, ac si quis in diluvio Orbis universi gregem ovium pereuntem desleret, quod in *Ovidiano diluvio Seneca Philosophus* irrifit. Nam cum Urbes, Provincias, Regna & Imperia caderent, quid magnum fuit oviculas, atque inter eas unum aliquem lupum, observare? Existimo inprimis ad *Arneſti* gloriam & sanctimoniam approbandam, deinde ad condemnandam miraculo *Georgij Regis* à Sede Apostolica, & veteri Regum Religione, defectionem, atque universi Regni periculum indicandum, tandem etiam ad Urbis *Glacensis* infelicitatem, ac interdictum in *Glacensi* Templo Missæ sacrificium, quod tantis pecunijs fundarat *Arneſtus*, significandum, oleum profluxisse. Vivere cum in cœlis monstrabat DEVS, cuius sepulchrum hinc honorabat in terris; aut etiam suavitate olei Legatum Summi Pontificis, ut facilis & clemens esset, admonebat. Multorum enim sensus fuit, multa à *Rudolfo Lavantiniensi*, si mitior esse voluisset, melius & fœlicius componi potuisse. Reges eos in virga ferrea, canit Propheta; non est tamen illa ob severitatem ferrea, sed ob inflexibilitatem Justitiæ; jungenda est virga Moysis in Arca pectoris, cum manna dulcedinis. Sed illa etiam olei causa, quod dilecta *Arneſto Pragensis Ecclesia*, *Rokyczanæ* fraudibus oppressa, oleo & Archiepiscopo suo careret, quam olim *VEN. Arneſtus* sudoribus suis largiter irrigasset; ideoque admixtus oleo sudor, quo nimirum Episcopi & Pastores Ecclesie, in olei unctionibus assidue occupati, lo-

Quid oleum  
Arneſti ex  
ejus sepul-  
chro fluens  
portenderit  
præcipue.

In Controver-  
sijs. In Meta-  
morph. Nat.  
Lupus inter o-  
ves, &c.

A. R. P. Clas-  
sicus Aquar.  
in Industria

lent



In Psal. 36. lent significari. *Loquebatur Iustus etiam in tumultu* (ait D. Ambrosius) *sicut loquebantur Anima sancta petentes de Mortis Authore* (de Georgio Rege, & Rokyczana Fidei & Religionis hostibus) *vindictam*. Sequitur: *Custodi innocentiam & vide equitatem; quia sunt Reliquia*, id est (ut Ambrosius interpretatur) *Corporis exuvia, homini pacifico*. Fortasse etiam, ne in miraculo DEI Matrem prætereamus, hoc oleum, *Benedictio MARIE* fuit; ipsa enim, ut idem notavit, maximè oleo misericordiae suos exercet.

Glacensis Civitas Sacris interdita & Templis; nihilominus à Legato permittitur Arnesti Fundationes persolvere.

Lumina caelestia ardere visa super Templum in quo conditus est Arnestus.

Illud tamen olei hujus prodigio apud *Legatum Apostolicum* impetravere Glacenses, ut (quod manuscriptum Chronicon memorat) peculiaribus ea de re datis litteris concederet, quotidie ad *Arnesti Archiepiscopi tumulam*, celebritate maximà, *Antiphonam* ei quondam carissimam *Salve Regina*, cantari.


Satis jam de oleo ac sudore *VEN. Arnesti*; adijciendum extremum illud quoque, ne cujus negligentiae accusari possim, quod *Elurio*, historiae Glacensis Scriptore haeretico, narrante didici: Templum hoc Parochiale Divae Virginis, magnà semper ab omni memoria Catholicorum pietate honorari & celebrari solitum, idque, ut ait, *ob Imaginem prodigiosam B. MARIE, tum ob Arnesti gloriosum sepulchrum*. Luminibus caelestibus aliquando locum illustrari fama communis, & antiquorum Catholicorum narrationes affirmant. Nostris temporibus, Anno 1640. cum maximè periculosa ab hoste Sueco bella Patriae incubuissent, nobis videre, qui in arce Glacensi excubabant milites, in *Glacense Divae Virginis Templum globos igneos caelo descendere, rursumque ascendere magnà aëris serenitate, ac denique altitudine infinità in caelum ablatos amitti*. Id sequenti die cursu detulere ad Collegium vigiles; eamque rem *R. P. Nicolaus Lancicius Soc. Jesu*, magnà opinione sanctitatis relictà mortuus, pluribus alijs, atque etiam mihi *Brunam* significavit per litteras. Quod etsi in *caussas Meteoris alijs communes referri possit, vetustam nihilominus Catholicorum Glacensium Traditionem non parùm confirmat*.





**ARNESTVS A PARDVBICZ, GENTE BOHE-**  
**MVS, EX PERILLVSTRI MALOVCIORVM STIRPE, PRIMVS**  
**ARCHIEPISCOVVS PRAGENSV, LEGATVS APOSTOLICAE SEDIS, S. ROM. ECCL:**  
**CARDINALIS RENVNCLATVS VIR DIVINIS ET HVMANIS LITTERIS EXCVLTISSIMVS, LEGATIONIBVS**  
**OBITVS ORBI VNIVERSO NOTVS: ANIMI DEMISSIONE ET TOLERANTIA MVNIFICENTIA IN PAUPERES MAGNI-**  
**FICENTIA ET SPLENDORE IN SACRIS ET PROFANIS, ALIISQVE PONTIFICALIBVS VIRTVTIBVS CLARVS IDEOQVE**  
**AD SVM. PONTIFICATVM ALLOQVANDO POSITVLATVS PONTIFICIBVS CHARISSIMVS VIVENS VIVAE VOCIS ORA-**  
**CYLO ABB LAVDATVS ET SANCTVS APPELLATVS: communitis eiusdem Pape Cardinalium, Praelatorum, Cleri et Populi Romani vox**  
**erat: non habere Alen anuam, imo totam Ecclesiam DEO, talem Praelatum qui dheret legem Guelphi) MIRACVLIS ET PROPHECIA DONO IN SIG-**  
**NIS, QVATVOR DITTISSIMORVM COENOBIORVM FVNDATOR, PRIMVS BENEDICTAE VIRGINIS IN SANCTO MONTE**  
**CVLTOR ET AMATOR, CVIVS HONORI DOCTISSIMVM AC PISSIMVM LIBRVM MARIALLI, COMPOSVIT.**  
**OBIT EX FEBRIBVS RAVDNICH ANNO DOMINI 1554, VLT. IVNII. GLACII CONDITVS ANTE EFFIGIEM**  
**BENEDICTAE, QVAE, OLLIM DVX HVIVS ESSET, AB EO VLTVM AVERTERAT. SEPVLCHRVM EIVS MARMOREVM**  
**PRODIGIOSE RVMPITVR, EX EOQVE OLEVVM SVDORI HVMANO SIMILLIMVM SAEPVS STILLAVIT.**  
*L. Georgius Strina del. M. Kasell. f.*







De Virtutibus & Sanctimonia  
VEN. Arnesti ex vetustis & recentibus  
Scriptoribus Testimonia pro-  
feruntur.

## CAPUT XVIII.

**J**Am pridem testatus sum, atque etiam nunc confessor, ad *Arnesti* virtutes ac sanctimoniam probandam, nihil me, nisi privatam ac meam historiam & auctoritatem, adferre, ideoque nullam majorem fidem exigere, quam eam, quæ humana narrationi, & historico non indiligenti debetur. Hic igitur *Elogia* quædam adferam, jam antè magnis Censoribus Virisque probata, quibus *Arnesti* vitam, & virtutes vetustissimi novique Scriptores ornârunt.

Arnesti in  
Antiquitate  
auctoritas.

*Venerabilis* titulus à tota Antiquitate, & à Cæsaribus *Carolo, Wenceslao, Sigismundo, &c.* *Arnesto* tributus, magnam, ex usu illius sæculi, de ejus sanctimonia existimationem ostendit. Neque facile *Arnesti* nomen post mortem, nisi *Venerabilis* addatur, aliudve simile, videbis. *Venerabilem Patrem* vitæ Scriptor appellat: *Sigismundus Cæsar, beata memoria Virum; & qui instinctu Spiritus sancti Cænobium Glacense fundavit; quod ante Sigismundum* ipsidem propè verbis scripserat *Carolus Imperator.*

I.  
Carolus IV.  
Archiv. n. 45.  
Wencesl. n. 20.  
Sigism. n. 22.  
Conc. Basileen.  
n. 1. & n. 8.  
M. S. Vita.  
A. n. 36. n. 22.  
n. 20.

*Venerabilis Arnesti* virtutem, honores etiam, ac summus, ad quem postulatus est, Pontificatus, affirmant: *Communis enim, ait manuscriptus Codex, Domini Pape, Cardinalium, & aliorum Prælatorum, Cleri & Populi assertio proclamabat, non habere Alemanniam, imò totam Ecclesiam DEI, talem Prælatum, qui observa-*

II.  
M. S. Vita.



388 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. IV.  
ret legem Excelsi. Verba hæc sunt Scriptoris eorum temporum,  
qui *Arnestum* familiariter noverat.

III. *Rudolfus* Episcopus Lavantiniensis, Sanctæ Sedis Apostolicæ  
per Bohemiæ & Poloniæ Regna, ac Alemanniæ partes, Legatus  
(hoc enim titulo utebatur, ut in antiquis litteris vidi) magnum  
pondus authoritatis *Arnesto* visus est addidisse; cum oleum ex ejus  
sepulchro fluens, ut antè ostendi, inter *Sanctorum Reliquias*, quas  
publicè populus colit, jussit servari; idque sapius litteris A. 1468  
datis ad Glacenses, declaravit.

In Archivo  
Glacensi litte-  
ra complures  
M. S.

Chronicon Gla-  
cense M. S.  
A. 1468.

IV. Sed & sepulchri singularis honor optimo Præsuli venera-  
tionem conciliat: nam, velut aliorum per Orbem Sanctorum tu-  
muli, cratibus & cancellis ferreis sepulchrum ejus munitur, pan-  
nòque rubro incingitur, certisque per annum diebus, Divæ Vir-  
gini consecratis, sericeo quodam velo injecto (id enim vetus  
*Rubrica Templi* admonet) ornatur; prorsus eâ ratione, quâ *San-  
ctorum Patronorum* in Ecclesia Pragensi corpora videmus ornari.

V. Veteres Ecclesiæ Glacensis Libri *Beatum* semper *Arnestum*  
appellant. Vidi olim, legique ipse Cærimonias in Ascensione  
Domini, ubi ad *Beati Ernesti* sepulchrum *Collectam* quandam, ut  
vocant, recitari oportere annotat Liber.

VI. *Sancti* etiam Nomen lapideus Templi Glacensis fornix  
(A. 1512. structus) *Arnesto* tribuit, quod ante me plures ani-  
madverterunt, monueruntque apponendum: Clypeus est, qui  
Campum habet coloris nigri, per quem tractus aureus ducitur;  
insigne scilicet Archiepiscopatus Pragensis; in superiore parte  
Annus 1364. quo ipso *Arnestus* obierat; in ipso clypeo hæc  
verba inferius leguntur: OBIIIT S. A. quod omnes, *Obijt Sanctus  
Arnestus*, unà mecum, qui videre, legerunt.

VII. Est Pagus ad Glacium situs, *Schwedeldorff* nomine (vetus  
VEN. *Arnesti* ditio) in ejus Pagi Templo vetustissimum Altare  
visitur, quod *Arnestum* in Imagine, cum cæteris *Bohemia Patronis*,  
stantem repræsentat (monuit me ea de re R. P. *Balthasar Mor-  
holtz S. I.* vir maximus natu, qui eam Parochiam annis propè  
triginta curarat) vidi, & Imaginem spectavi nuper; néve dubi-  
cari

Arnestus in  
altari depi-  
ctus unà cum  
pluribus Sã-  
ctis visitur.



tari posset, adjecit Antiquitas grandibus litteris: *Sanctus Ernestus*. Isque eo prorsus modo, quo in sepulchro ex marmore excisus, *Pedum Archiepiscopale*, aliâque ornamenta sustinet. Cùm quærerem, unde illud *Altare* in Pagum venisset? respondere, qui meminerant, atque ipse *R. P. Balthasar*: ex Glacensi Templo translatum; in *Sacello S. Anna* olim Glacij stetit, cùmque novum *Altare* pretiosus erectum esset, hoc vetus, *Pago Schwedendorff* donatum, agente finè dubio tacitis vijs Providentiâ divinâ, ut in ditione quondam sua coleretur *Arnestus*.

Indicium aliquod veteris hujus in Antiquitate venerationis manuscriptum *Chronicon* præbet, in quo *Michaël* Præpositus vitam *Arnesti Legendam* vocat, quod nisi Sanctis & Beatis sæculum illud non tribuebat; idque *Michaël* in litteris ad Nuntium Apostolicum scriptis expressit.

Sed & in *Chronico* eodem *Beatus Arnestus* appellatus legitur, ut supra vidimus.

*Hagek*, Bohemiæ princeps Historicus, Canonicus Ecclesiæ Boleslaviensis, Elogium quod *Arnesto* scripserat, claudit in hunc modum: *A 1384. ultimâ Junij, Venerabilis D. Arnestus Archiep. Prag. febribus excruciatu, moritur; Vir dilectus DEO & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Sepultus est venerabilis & sanctus Pater, in eodem Templo Glacy ante Altare majus, & anima illius, in fide Christianâ credimus, cum DEO in ejus aterna gloria requiescit.* Magnum testimonium ab Historico minimis maximisque probato, & approbato.

Non igitur mirum, ob *Arnesti* memoriam quàm plurimos Glacij olim, hodièque *Ernestos* appellari. Legi in Manuscriptis Glacensium Civium plurima nomina, plurimòsque *Ernestos* invèni. Vicina quoque Nobilitas, non indecorum putavit sequi; plurimique nobiles Viri, *Panvicij* præcipuè ( stirps Equitum per vetusta, è Bohemia in Comitatum Glacensem traducta ) hoc nomine gaudent.

*Joannes Dubravius* Episcopus Olomucensis, nihil de Sanctitate, sed de Virtutibus *Arnesti* plurima scripsit: *Paulo post obiit*

VIII.

Chronicon. Glacense M. 8.

IX.

X.

Nota.

Nota.

XI.

A. 1384.

XII.

L. 22. hujus. Bohem.



Archiepiscopus Arnestus, similiter officio suo optime functus, &c. multa ejus pia opera memorantur, &c.

XIII. *Georgius Bertholdus Pontanus*, S. Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Præpositus, Officialis, & Vicarius Generalis, de Statu-  
Prefat. Statuta Ernesti ad Nunc. Apost. Ioannem Ferrerium, tis Ernesti loquens, ait, esse digna tanto Præsule, eúmque Zelo-  
*sum, & Beatissima Virgini MARIE valde devotum Archiepi-*  
*scopum vocat.*

XIV. *Idem Bertholdus* in Catalogo Præfulum Pragensium: *Erne-*  
In Bohem. Pia. *stus*, inquit, *Ernesti filius, vir multis nominibus commendatus, à Ca-*  
*pitulo Pragensi unanimiter eligitur, &c. Vir fuit exemplaris vita,*  
*pius à se incipiens, quæ in alijs desiderabat.*

XV. *Martinus Cuthenus* in Notis ad *Aneam Sylvium C. 33.*  
*Arnestus moritur I. Archiepiscopus, qui composuit notum illum Can-*  
*tum: S. Wenceslæ, &c. In ejus locum ascendit Ioannes, &c. Hi*  
*duo Archiepiscopi DEVM timentes, pii & præclari viri fuerunt.*

XVI. *Lupacius* in Calendario historico: *Ernestus vir munificus,*  
*& magna gravitatis, pius, honestus, probusq.*

XVII. *Daniel Adamus Weleslavinus*, itidem in Calendario historico  
 30. Junij: *Obijt ex febribus Raudnicz Arnestus, Arnesti Equitis de*  
*Pardubicz, Capitanei Comitatus Glacensis filius, qui medium Equum*  
*in armis suis gerebat, &c. Vir fuit DEVM timens, pius, & omni*

XVIII. *hos tres postremos Scriptores, et si à fide &*  
*religione nostra, ut tum erant tempora, alienos adduxi, ut quan-*  
*ta in autoritate virtutis Arnestus semper fuerit, cognosci possit.*  
*Salutem ex inimicis, aliquando etiam veritatem, petere licet.*

Venerabilis Pater *Albertus Chanowsky S. I.* vir Apostolicus,  
 ut ejus nuper edita vita demonstrat, in libro, cui titulus est: *Ve-*  
Vestig. Bohem. Pia, C. 3. *stigiium Bohemia Pia*, inter Sanctos Bohemiæ Ernestum quoque  
 numeravit: *duum generum Sanctos*, inquit, *Bohemia colit: alios*  
*extra Patriam natos, quales Vitus & Sigismundus; alios domi-*  
*nos, quales Wenceslaus, Adalbertus Procopius, &c. Ludmilla, Er-*  
*nestus, &c. Videatur P. Ioannes Tonner S. I. Notis in C. 3. ejus*  
*libri, qui adjecit: Ernestum Glacij coli ut Sanctum; eidem do-*  
*nararia offerri solere & vota fieri, & in pariete vetusto ei Sancti no-*  
*men tribui.*

R. P.



R. P. Georgius Crugerius S. J. patriæ historiæ excelendæ natus, ejusque scientissimus vir, in *Pulveribus Sacris* (quo libro omnem Bohemæ Pietatis & Antiquitatis gloriam complectetur; atque utinam hoc tam egregio diligentia suæ partu citò nos beet!) is, inquam, in *Pulveribus Sacris* 30. Junij sic loquitur: A.D. 1364. 30. Junij, animam planè sanctam Creatori suo reddidit, Raudnicensi in Arce, Ernestus primus, Pragensium Archiepiscopus. Vir fuit Nobilitate veterrimâ, Litteris ac Sapientiâ magnus, & quod in Ecclesiasticis est perquam eximium, vitæ Sanctimoniâ etiam maximus, &c.

XIX.

Venerabilis Pater (hunc enim titulum Opera ejus posthuma, Antuerpiæ edita, præferunt.) Eusebius Nierembergius, virtutibus suis Hispaniæ, scriptis verò cœlestibus Orbi universo notissimus, in pulcherrimo, doctissimoque libro, cui titulum inscripsit *Exceptiones Concilij Tridentini*, deinde in *Dissertationibus Epistolicis*, Epist. 13. ad Reverendiss. & Religiosiss. Patrem M. F. Gasparem Catalan ex Ordine Prædicatorio, designatum Episcopum Ilerdæ, in Arnesti nostri autoritate multum, ad Immaculatam DEI Matris Conceptionem probandam, reponit, eumque miris laudibus celebrat: In hoc, inquit, senescenti Mundo, placuit Altissimo gloriam suæ Matris novam (ô Vaticinium!) semper splendescere, atq; à seculo in seculum splendidius innovari. Post hæc adducit Nierembergius Arnesti nostri de Immaculata Virginis Conceptione sententiam, ostenditque ab omni sæculo Christiano spiritualem quandam Sanctorum generationem descendere, quæ piissimam hanc sententiam docuerit, ac defenderit. Magna certè VEN. Arnesti laus ab Nierembergio profecta, in genealogia sanctissimorum & doctissimorum hominum censerit. Neque id fati; adductis enim Arnesti sententijs: hucusq; inquit, venerandus ille Antistes, ubi mirificè Conceptionem Immaculatam profitetur & explicat, plurimam præstans lucem intelligendis alijs Doctoribus. Et iterum: Patres Societatis nostræ in Bohemia, quasi effosso thesauro, ditârunt doctos & devotos, manifestum facientes opusculum Arnesti Pragensis de Prærogativis Virginis, &c. Hoc testimonium tantò magis est

XX.

A. 1635. f. 239.

Testimoniū R. P. Eusebij Nierembergij de Arnesto.

Mariale Arnesti C. 5. C. 13. & C. 150. f. 239.



faciendum, quantò Authoris veneratio major habita fuit, quem Be-  
rissima Virgo, iracunda semel visa, ad perpetuam pietatem convertit;  
ob quam meruit primus esse Archiepiscopus Praga, verbisq; & ope-  
ribus potens, egregiam apud omnes famam adeptus, &c.

Ad extremum: hac verba sunt (ait Nierembergicus) Vene-  
rabilis Arnesti, quibus ipse suum obsequavit opusculum, quoniam me  
ad devotionem permovit devotus Arnestus. Ita Eusebius; cujus  
viri magni magna apud me autoritas est, & apud bonos omnes  
esse debet.

## Mira DEI providentia in re- bus Arnesti conservandis, deque mira- bili earum, temporibus nostris, inventione.

### CAPUT XIX.

**I**Nter alias felicitates, quibus Imperia Regum optimorum  
consignari solent, historiarum nominant: thesauros inventos.  
Nam in Regibus, Regnorumq; summis, non una Virtus  
Prudentia, ceteraq; regnorum artes, sed felicitas etiam spe-  
ctatur. Affectavit eam gloria Nero sanguinarius, & ab Orato-  
ribus eo nomine laudatus est, repertis in Africa thesauris; sed irri-  
dente fortuna, subitoque falsos thesauros in carbones vertente.  
Antea quoque Pompejus Magnus felicior, qui duo millia pocu-  
lorum ex auro & gemma, quam Onychem vocant, invenerat.  
Apud Christianos in honore semper erunt Constantini Magni, ac  
deinde Heraclij tempora, divina Crucis inventione, & à barbaris  
receptione, nobilitata; atque, ut plura hujusmodi omitam, sub  
Philippis & Carolis, felici Columbi auspicio, Carolinus orbis re-  
pertus,

Vide Thesaurum  
Zwingeri de  
Thesauris.

Tacit. lib. 16.  
Annal. init.  
Lipsius lib. 1. 3.  
Appianus in  
Mithridatico.



perius, Regibus æternitatem nominis conciliavit. Hæc toti, ut ita dicam, Orbi communia; at læta non minùs illa, quamvis famâ minore; ut fuere avorum, patrùmque memoriâ *Cecilia*, *Rosalia*, *Bibiana*, aliæq; Sanctorum Corporum inventiones, quibus Regna, & Urbes fælicitatem suam adscribunt. Simile quiddam hoc loco de rebus *VEN. Arnesti* narrabo. A. 1637. *Ferdinando III.* Regnum, post Patris mortem, auspicante, cæcus quidam senex, *Prochazka* nomine, somnio cœlesti *S. Montem* Pragâ quærere, & in eo *Statuam Divæ Virginis* adorare jubetur; recusabat cæcus, qui locum non nôsset, & somnia sequi nollet. Adactus a parentis cujusdam venerabilis senis multiplici hortatu & minis, *Montem* quærît, invenit, visum recipit. Hæc est illa *Arnesti* Statua (ut in historia *S. Montis* probatur) quæ ab eo culta, & manu ejus, ut multi suspicantur, excisa, in ejus *Arce Præibramensi* diu steterat, cadente in cumulum *Arce*, & incendio corruptâ, una illa illæsa, ab annis trecentis, inter violentas hæreticorum; & Iconoclastarum manus sola incolumis servata est, hodièque prodigijs celebratur. Sed neque istud satùs providentiæ Divinæ fuit.

*Nosocomium VEN. Arnestus* Præibrami erexerat, in eoque *S. Elisabethæ* Statuam poni curârat, ea Statua, omnibus alijs Imaginibus & Statuis per eam viciniam pereuntibus, ad *S. Montem* venit, & in sacello sancto spectatur.

*Campanulam* in sacratio suo Præibramensi *Arnestus* habebat, ea quoque ex intervallo ad *S. Montem* Statuam est secuta.

*Lapis Altaris*, in quo divina peragebat *Arnestus*, deerat; hic à cive hæretico, priore sæculo, ex ruinis Arcis raptus, & ante domum locatus, mirabiliter à Catholicis agnitus, nostrâ ætate in *S. Montem* portatur, atque super eum hodie, coram *DEI* Matre, divina peragunt Sacerdotes.

Idem actum videmus cum alia *Divæ Virginis Statua* in Templo *Glacensi*, quam *Arnestus* amârat, cuique cum honorem fundatione perpetuâ procurârat, ut ante eam quotidie cum Cantu Sacrû Missæ officium Deo offerretur. Stetit illa, & stat adhuc *Glacij*, consumtis tot alijs Religionis Catholicæ monumentis templisq; duo.

I.  
Statua B. Virginis, quam Arnestus habuerat, servatur.

II.  
Statua item S. Elisabethæ.

III.  
Campanula.

IV.  
Lapis altaris

V.  
Alia B. Virginis Statua.



duobus Catholicorum, propè cum solo ipso raptis & dejectis.

VI. Altare. *Altare* in quo sese *Arneſtus*, ante DEI Matrem, flectentem pin-

VII. Alia B. xerat, etiamnum ſervatur. Altera *Diva Virginis Statua*, quam  
V. Statua. *Arneſtus* fieri curaverat, quàmque in ſumma Ara Canonico-

*Narratio Au-*  
*ſthenica de B.*  
*V. Statua in*  
*Columna Tem-*  
*pli Glaceniſi.*

VIII. *Archivum*  
*Arneſti.* *Arneſtus* fieri curaverat, quàmque in ſumma Ara Canonico-

rum locaverat, diu in hæreticorum manibus hæſit, templòque dejecto fundirus, eluctata ex eorum manibus, miraculo etiam ſe prodidit; hodie Catholicis reſtituta, ſtat, tanti temporis & improbitatis victrix, in *Columna Templi S. I. Glaceniſi* læta & incolumis. *Archiva* plurimorum per Bohemiam Cœnobiorum, hæreticis dominantibus, ferròque & igne ſævientibus, interierunt; *Canonicorum Glaceniſum*, poſt tot ſæcula, ex tot incendijs, fugis Religioſorum, Cœnobij ac Templi vaſtatione, atque etiam ruina, venère ad manus meas omnia, quibus multum in hac hiſtoria ſcribenda ſum adjutus; complures enim *Arneſti*, *Caroli Caſaris*, aliorumque Imperatorum litteras continent, ut curioſus Lector potuit obſervare. *Glaceniſe Chronicon*, & *Manuſcripta VEN.*

IX. *Arneſti vita*, eſſi alia, etiam recentiores memoria, flammis & fortuitis caſibus abſumtae ſint, perennarunt, & quaſi in unum

X. temporis articulum collecta omnia, hoc tempore agente divina providentiâ, prodidère ſe, ac ſpontè prodière in publicum. *Sepulchrum Arneſti* mirificum illud, in regno hæreticorum, cum

XI. Templum per viginti & plures annos tenuerint, tamen violare auſi non ſunt, & intactum reliquerunt. *Templum* ipſum Glaceniſe, in quo ſepulchrum viſitur, partibus ſuis aliquoties concide-

rat, ut *Chorus*, antica & poſtica Templi pars: vivit *Arneſti* tumulus, coliturque à Catholicis, atque, ut piè ſperamus, coletur in poſterum. Conferat Lector, quæ attulimus, cum Episcoporum & aliorum Clarorum Virorum memorijs, quos à 300. annis tam illuſtres habebit? Cœnobiorum origines pleraque, eſſi auro contra cuſtodiebantur, tamen aut temporis, aut hæreticorum, aut ignium tyrannidem vitare non potuerunt. *Caroli Caſaris* ipſa, quanquam *aurea diplomata*, aliquod hoſtium, aut ignis ſenſere veſtigium, ut taceam Principum cæterorum. Quantas in Patria, quàmque divites in templis *Fundationes* tempus abolevit!

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*

*Episco-*



Episcopatus Litomifslensis ubi? ubi illa Pragensis Ecclesia celebri-  
tas? ubi Caroli Foundationes? At Glacensis ab Arnesto fundatio,  
tum illa Matutini Sacri, tum illa, quâ Dei Mater quotidie per  
Orationem *Salve Regina*, salutatur, nunquam, nè hæreticorum  
quidem temporibus, cessavit.

*Tempus edax rerum, tūq, invidiosa vetustas  
Omnia destruitis, vitiatq, dentibus ævi  
Paullatim lentâ consumitis omnia Morte.*

Quantâ admiratione Civium suorum, & quantâ suâ gloriâ ja-  
ctavit sese *Pompejus*, cum *Alexandri Magni chlamyde* indutus,  
quæ trecentos viginti annos pertulerat, triumphavit! Quæ chla-  
mys, maximâ semper diligentâ, inter Regum Ægyptiorum ga-  
zas, deinde in *Mithridatis* thesauro fuit conservata. At apud  
nos erant tempora, quibus Cælum ipsum, etsi in altitudinem in-  
finitam elatum, oppugnabatur, & sacrarum Domorum & Tem-  
plorum incendijs rubescebat. Verba D. Ambrosij valere hîc pos-  
sunt: *Legimus, inquit, in Prophetâ, quòd viderit falcem volantem.*  
*Hoc imitatus Auxentius* (Zifka cruentus nebulo, Taboritæ, Pro-  
copiorum exercitus) *gladium volantem & flammæum, per Vrbes  
omnes direxit.*

Sed nihil majore cœlestium curâ procuratum videtur, quàm  
nè *Arnesti de Beatissima Virginis laudibus liber*, interiret. La-  
tuerat ille per aliquot sæcula inter blattarum & tinearum dentes  
*Trebona*; deinde, Cœnobio Canonicorum Regularium in flama-  
mas succenso à Taboritis, abeunte, velut *Liber Enoch*, quem in  
*Arca Noë servatum* tradit *Tertullianus*, in Bibliotheca Rosenfi-  
um Procerum, ignobilis & ignotus per ducentos propè annos hæ-  
rebat, translatus deinde A. 1647. Pragam in Arcem cum cæteris  
*Trebonensibus* libris, à Suecis paulò post Arcem occupantibus,  
& bibliothecam regiam omnem evehentibus, avectus sinè dubio  
periisset, nisi per id tempus fortè fortunâ in Collegium Soc. Jesy  
allatus in Urbem veterem, mutuûsque datus Patribus nostris, vi-  
tâset periculum. Prorsus ut divinæ providentiæ, quæ semper, ut  
ait Plato, *Geometriam exercet, & attingit à fine usq, ad finem forsi-*

D d d

XII.  
Fundationes  
Arnesti Gla-  
censes.

Ovid.

Plutarch. in  
Pompeio.

Appianus in  
Bello Mithri-  
datice.

D. Ambros.  
Concione de  
non trad. Basi-  
licæ.

XIII.  
Martialis Li-  
ber.

Tertull. Lib. de  
habitu mulie-  
rum.

ter,



ter, & disponit omnia suaviter, fila quædam, & linearum ductus in hoc Libro conservando videre quilibet possit. Latum libri talis inventione, & multò magis conservatione *Ferdinandum Ernestum, III. ejus nominis Casarem*, gloriari insuper solitum accepimus: *Librum Arnesti totum à calce usq; ad pagellam ultimam semel atq; iterum se legendo absolvisse.*

Placebit forsitan scriptam de re tota Narrationem audire Sacerdotis nostri, qui, Typis Academicis eo tempore Præfectus, *Librum Arnesti* primus publici juris fecit. Hic rogatus, in hunc modum respondit.

Narratio, quàm mirabiliter  
Mariale Ernesti à direptione Sueco-  
rum ex parva Pragæ parte A, 1648.  
fuerit ereptum,

## CAPUT XX.

Testimoniũ  
Præfeti Ty-  
pographiæ  
Soc. IESV de  
Arnesti li-  
bro.

**R**ofenses, olim potentes in Regno Dynastæ, famosam habebant Trebonæ Bibliothecam per trecentos & amplius annos, optimis cujusque ætatis authoribus, & Sanctorum Patrum, & plerumque in membrana, ut ea ferebant tempora, scriptis Codicibus, aliisque pretiosis, quæ ego met viderim, meisque manibus tractarim, raritatibus excultam; & cum temporibus impijs Zifscæ, monasteria, & eorum Bibliothecæ diripiebantur, comburebanturque, optimos quosque & selectiores inde Codices, magno pretio à prædonibus illis redimere soliti, in suam quoque illos Bibliothecam adscripsere. Hos inter erat unus talis membranaceus in folio Liber, Monachi aliquis pulchrâ manu scriptus, & alio subtiliori ab aliquo asterisca-



riscatus, correctusque, 150. Capitula, quasi totidem sermones, de Beatissima Virgine continens, stylo pro illa ætate satis nitido, affectu autem in Deiparam planè singulari, sinè nomine quidem Authoris, non tamen sinè Prefatione, ex qua sufficienter quoque colligi poterat. Author, cùm ibi diceretur esse filius Nobilis Militis (hodie diceremus Equestris Ordinis) de Pardubicz. Compactus erat in holosericum carulei, seu sapphirini coloris, crassitie trium digitorum, margine vivaciter inaurato, in asserculis, & clausuris, atque finalibus, ut adhuc apparebat, olim argenteis. Nihilominus Liber iste tam speciosus, pretiosusque, seu quòd aliæ raritates majores prævaluissent, seu quòd clausuris spoliatus in vili cumulo manuscriptorum Codicum illic jacuisset, seu quoque, quòd viri docti, Bibliothecam visitantes, oscitantiùs ac per transennam duntaxat aspexissent, quasi abjectus, aut propediem abijciendus, ducentos ferè annos inglorius delituit. Tandem, cùm Bibliotheca cum toto Dominio Trebonensi, ultimo Rosenfium, *Petro Wok*, sinè liberis defuncto, jure filci ad Regem Bohemiæ devenisset, multis annis *Domus Austriaca Trebonam*, nunc Sorori *Cecilia*, nunc Serenissimo Archiduci *Leopoldo*, aut alijs usu fruendam concesserat, bibliothecam tamen sui proprii juris esse, & remanere volebat. Anno demum 1647. ratibus transferri Pragam, & sub novis novi Palatii ad Occidentem amplis altisque fornibus Sac. Cæsarea Majestas collocari, inque suos Ordines Authores dispe-  
 sci imperavit; dispositam post coordinatamque suis ipsemet oculis lustrare, & encomio approbare non dubitavit. Regius hujus Bibliothecæ Præfectus fuit idem qui Regiorum Epheborum, *Rev. Dominus Doctor Mathaus Mauchner*, qui, pro suo singulari & eximio in me affectu, ut Regiam Bibliothecam perlustrarem, invitare, ac propemodum trahere dignatus fuit. Veni, vidi, tractavi, laudavi, stupui, & admiratus sum tot raritates, non minùs quàm antiquitates. Dum propè (vesper enim erat) fatigatus ab opere collustrandi cessarem, tum egomet, nescio quo casu, quòve instinctu, prædictum quoque librum inspiciendum accipio, pandò, partimque lego, partimque legere collaboro: placuit the-

Nera,

Arnestus filius  
Arnesti  
de Pardubicz.



ma, placuit methodus, placuit authoris erga Deiparam devotio, non displicuit stylus. Quæro autem ex Domino Bibliothecario: num, cujus esset authoris, titulo nihil indicante, ipse nôsset? Respondit: esse opus cujusdam (sed nesciebat nominare) *Archiepiscopi Pragensis in Beatissimam Virginem* multum, ut fama ferret, devoti. Illico mihi nomen incidit *Arnesti*, de quo Glacij sepulto cum ego illi mira illa saxorum fragmenta, nec non Deiparæ visionem recensuissem, facile arbitrio acquievit; cumque vicissim quædam alia, Glacenses Canonicos concernentia, in eadem illa Bibliotheca superesse retulisset, memetipsum in arrepta opinione, nec immeritò (quis enim, post tot à *Ziska* Regni & Cænobiorum ruinas, authentica super tali monocodice, cujus exemplar nullibi exstaret, requirat adhuc documenta?) confirmavi. Itaque gaudio exsiliens Regius Bibliothecarius, tanquam eruto thesauro, Regiæ & Cæsareæ Majestati cognomine *Ernesto* (siquidem in tota DEI Ecclesia usquam constat, ab ullo *Ernesto* quid simile de Diva Virgine editum, & quidem Archiepiscopo Pragensi) è vestigio ad Sac. Cæs. Regiamque Majestatem, boni non minus libri, quàm nuntij bajulus, festinans rem exponit, utque sub suis auspicijs illum transcribi, recudique clementissimè jubeat, velitque, non minus persuadet feliciter, quàm suadebat ferventer. Itaque, prout mihi cum prædicto Regio Bibliothecario convenerat, A. 1647. in Octobri vocatus fui ad Audientiam; ubi contra Reversales, quòd eundem numero librum, integrum & indemnem velim post finitam impressionem ad regiam illam Bibliothecam referre (prout etiam & Reversales dedi, & exemplar Regiæ Cæsareæq; Majestati postea per *P. Moretum* restitutum fuit) traditum est mihi ad manus originale, ac unicum illud exemplar: quod ubi non sinè gaudio domum detulisset, quòd me tamen firmitus in vestigio crediti Authoris firmarem, tria omnino prius probarum genera volui experiri:

Primò, omnes illos, quos ibi Pragæ in Bibliotheca habueram tam in papyris, quàm in membranis Manuscriptos veteres, Postillantes, Homiliarios, Sermocinatores rerum, pervolvi, num  
for-

Augustis.  
Cesar Ferd.  
III. jubet  
Mariale  
Librū Typis  
vulgari.

Nota: jam in  
Bibliothecis  
manuscriptis  
plura inventa  
esse Exempla-  
ria hujus ipsius  
libri.



fortè simile in eis thema, stylum, methodum, corpus invenirem, & nihil invèni.

Secundò, *R. P. Georgium Ferum*, virum incredibilis lectio-  
nis, & memoriæ (de quo fortè non injuriâ posset simile quid  
dici, quod de S. Hieronymo ejus ætate: neminem facilè ex anti-  
quis MM. SS. sacris Authoribus fuisse, quem P. Ferus ignorâset)  
præbato ei Codice consului, & ipse, eo perlecto, nullius alterius,  
quàm *Ernesti* esse sibi quoque videri affirmavit.

S. I.

Tertiò, *R. P. Georgium Bohaty*, virum in veteribus Manu-  
scriptis exercitatum, qui in Collegio Glacensi Rectorem ege-  
rit, & non levem aliàs istius VEN. Episcopi, in nostro illic Tem-  
plo tumulati, notitiam habuerit, præbato ei similiter Codice  
consului, & ipse mihi eodem profus modo, quo R. P. Ferus re-  
spondit, insuperque, ut est in omnibus suis functionibus vir per-  
quam accuratus, serius, & punctualis, collato Characterè mar-  
ginis ad Textum, hunc quidem alicujus (ut est in ejus vita) eo  
tempore Canonici Regularis Monasterij Glacensis; illum autem  
ipsius Authoris Episcopi, & Correctoris non improbaliter fuit  
opinatus.

Nota

Postquam & alij censuissent opus esse *Ernesti*, accinxi me ad  
Codicem seriùs transcribendum, post quoque typis evulgandum.  
Itaque consilio semper cum *R. P. Bohaty* communicato, ut ama-  
nensibus per partes relinqui posset, dissiimus Codicem in qua-  
tuor partes; quarum duas priores, unà cum vita ejusdem, quam  
ex antiqua Capituli Pragensis manuscripta Bibliotheca, à sub-  
scripto ibi Domino Decano impetraveram, transcribendas, ex  
sua particulari pietate, & universis serviendi studio, ipsèmet *R. P.*  
*Bohaty* assumpsit, & eleganter, mundèque pro prælo transcripsit.  
Duas alteras partes, duo quidam nostri Scholares, sed in parva  
parte ad S. Nicolaum Magistri, cum illas transcribere cœpissent,  
A. 1648. adhuc, in fausto illo Mense Julio, apud sese in cubicu-  
lis neglectim habuerunt. Vide verò totius rei seriem: cum re-  
perto in illa Regia Bibliotheca isto *Ernesti* Codice denarrâsem,  
Domino Bibliothecario, qualiter, quoties, in *Ernesti* sepulchrali



faxo quidquam novi seu liquoris, seu fragminis compareat, in-  
 fausti id esse omnis in *Regnum Bohemia* soleat, quamvis aliàs de-  
 invento Codice esset laetus, nescio tamen quâ incestitiâ Cor mihi  
 tunc contristante, quasi subridendo subtexuerim: *En, invento,*  
*qui tam diu latuit, hoc quoq; Codice Ernestino, quid si id ipsum foret*  
*Patria omen in malum?* Applausit risu D. Bibliothecarius, ego  
 quoque memet risu explosi. Ecce tamen quid fit? ex improvise  
 nocte illâ 25. Julij Königsmarck Suecus Parvam Pragæ Partem  
 occupat, spoliat, captivat, prædatur, &c. Dum Domus Professa  
 nostra diripitur, duo quoque illi Magistri, omnibus suis reculis  
 in cubiculis relictis, sub tecto metu ad templum confugiunt, de  
 concreditis sibi membranarum nihil memores, nihil felliciti. Inte-  
 rim toto illo triduo per discursantes Suecos omnes eorum char-  
 tæ & litteræ in cubiculis suisque deque disijciuntur, dilacerantur,  
 diripiuntur, nemine ullo memore de *Ernesto*. Ego quoque (quis  
 enim aliter putasset?) credidi esse deperditas; cum interim,  
 divino procul dubio ejusdem *Arnesti* admonitu, R. P. *Matthias*  
*ab Asselt* Domus Professæ tunc incola, interno spiritu vehemen-  
 ti impulsus, post aliquot continuatos deprædationis dies, visurus  
 quid Sueci in cubiculis reliquissent, hem dispersas quoque in illis  
 duorum sub tecto Magistrorum cubiculis, hæc membranarum, vi-  
 ginti duas circiter phylas, agnoscit, elevat, colligit, componit,  
 quodque in Domo Professæ perinde tutò manere eas non posse  
 crederet, ut est vir valde perspicax & serius, ipsi adhuc Cæsareo  
 Judici, credo, aut Primati Parvæ Urbis Pragensis, tanquam spe-  
 ciale Regni Thesaurum, ideòque, dum Deus eos à Suecis libe-  
 raret, vel in propria eorum Curia asservandas commendat, & in  
 eorum manibus derelinquit. Optimum consilium, habuit opti-  
 mum eventum. Repulso enim ab antiqua Urbe hoste, & com-  
 mercio cum Parvo-partensibus iterum concessio, prima mihi, &  
 Patri ab *Asselt* cura fuit, membranarum recipere, transcriptionem  
 proficere, & maturare impressionem. Interim autem *Suecus Kö-*  
*nigsmarck*, ut omnia alia, ita & illam Trebonensem Bibliotheca-  
 sam, usque ad ultimum folium navibus impositam, Pragâ in Sa-

Servatur mi-  
 rabiliter Ar-  
 nesti Liber.



*xoniam* abstulit : adeoque ex tota Bibliotheca Regia *unicui iste Liber V. Ernesti* unice, per me, imò non per me, sed per sese ipsum, est in Patria mirabiliter conservatus.

Hucusque Narratio Sacerdotis Nostri, qui Typographiæ Academicæ præfuit, & primus *VEN. Ernesti librum* edidit in lucē.

Nota singularē DEI providentiā: perditā universā Bibliothecā, unus Ernesti liber servatur in Patria.

An probabiliter fatis Arnestus pro Authore Libri, Marialis vulgò appellati, haberi possit ac debeat?

## CAPUT XXI.

**P** *Salterium de Laudibus Beatissima Virginis, sive Expositio nominum ejus* (hic enim verus germanusque Libri titulus est, quem Typographi Pragenses *Mariale* vocaverunt) Liber, inquam, ille omni sacrā profanāque eruditione,

Differentiā de Authore libri Marialis.

plenissimus, arcanis sacrarum litterarum sensibus ac sententijs illustris, tenerrimo in DEI Matrem amore conceptus ac effusus, à doctis juxtā & indoctis, unā eadēque sententiā *Arnesto*, velut Authori, apud nos tribuitur. Reperi tamen duos tresve eruditos viros dubitantes, quorum judicium, ut propiùs cognoscerem, per litteras, quibus niterentur argumentis, elicere multo studio sum conatus. Dividam in sectiones disputatiunculam hanc, gratiā claritatis.

§. I. Argumenta eorum, qui negant Arnestum pro Authore Marialis Libri habendum esse.

**A** Junt r. magnam in hoc *Mariali Libro*, & Narratione illā mira-

Littera 1667. 24. Junij.



miraculi, quam moriens dictavit, styli divestitatem apparere; *Marialem* Librum vivaci genio, & stylo lætiore ac latiore scriptum; *visionis narrationem* ad sæculi illius genium inclinatam, humilem ac simplicem esse.

Secundò, nunquam in Antiquitate auditum, ejusmodi librum ab *Arnesto* conscriptum prodijisse; & cur ei tribuatur, cujus nomen non præferat?

Tertiò, eundem Librum (quamvis etiam sinè authoris nomine) in *Bibliothecis Belgicis* inveniri, idque nostræ Societatis Patres indicasse. Suspiciari igitur se dicunt: librum ex Gallia ab *Arnesto* in Bohemiam allatum, eo mortuo ad Canonicos Regulares *Glacium*; inde donatum Dynastis *Rosenbergicis* à Præposito *Glacensi*, *Trebonam* ad extremum pervenisse. Hæc ferè summa est omnium earum rationum, quibus permoti à communi sententia discessere. Ego, libro sæpe lecto, plures etiam adversus *Arnestum* causas adferri posse video: nam *Gallicis* rerum appellationibus aliquando utitur Author, ut cum de *Salimca* loquitur; commendat à pulchritudine *Parisiensem B. Virginis Ecclesiam*, præfertque *Beluacensibus & Rhemensibus*; probat *JESVM* in utero Matris conceptum, *claustralem* esse factum, & velut *parvum Novitium* in virgineo clauetro latere. Quod postremum, Ordini alicui religioso adscriptum authorem videtur ostendere.

c. 11.

Ibid.

c. 103.

Etsi Arnestus  
Marialis au-  
thor nõ fuit.  
set, nihil e-  
jus derogat  
sanctitati.

Ego ut, quod sentio, semel exponam: ingenuè fateor, neque ex agentium, neque ex negantium parte, videre me ullum tam potens argumenti genus, cui contradici non possit, quòdque *Arnestum* manifestò demonstret Authorem, multòque etiam minùs probet Authorem non esse. Sed neque, hac in re *Arnesti sanctitas*, tot jam antè documentis probata, vertitur; eas tamen adferam conjecturas, ut non iniquo judici facilè, si non certitudinem, certè suspicionem tutam satis de *Arnesto* authore, sperem facere posse; atque inprimis, quæ objecta modò sunt, tentabo refellere.



## §. 2. Superiorum Argumentorum confutatio.

Nam quod de *styli diversitate* dicitur, leve id quidem omnino videtur, & debile: aliter enim laudationem, aliter humiles preces, & confessionem criminis scribimus; stylus res, non res stylum sequuntur; adde quòd Laudes Beatissimæ Matris ab *Arnesto* fortasse florente ætate in Gallia, in primo honorum cursu, in summi Pontificis Aula, quæ etiam languentia & jacentia ingenia potest & solet excitare, aut primis Pontificatus Annis elucubrata fuerunt; at *Narratio visionis*, sene jam *Arnesto* & moriente, ab intermortuis ejus vocibus, aut gemitu potiùs, excepta est. Quis tum verba quærat & eligat, cum de vita res est? vel ætas ipsa quantum deterere de florido dicendi genere, & addere judicio solet? Notavit id ante me pridem in *Tacito* prudentissimo Scriptore *I. Lipsius*, vir prudentiâ & scientiâ magnus: nam *historias Taciti* floridas, diffusas, ac velut uno canali fluentes, *Annales* contra siccos authoris ætate, contractosque videmus; id quod de seipso *Lipsius* alibi fatetur: nam quæ juvenis scripsit, *ad Ciceronem*; quæ senex, *ad Senecam* curtosque illos Scriptores, accedunt. *Est sua*, ait *Quintilianus*, *etiam studijs infantia*; adducitque *Domitij Afri* exemplum, quem, olim Romani fori Principem, cum senex diceret, ridebant & deserebant auditores; quare, ait *Quintilianus*, *antequam in has ætatis insidias deveniat, senex Orator, receptui canat, & ad portum integrâ nave perveniat*. Quòd si *Arnesti* ipsius stylum conferamus; quis non videt ab eadem diversitate styli *Arnesti* quoque *Statuta* oppugnari? quæ tamen ab eo edita & scripta mille testimonijs constat. Nam ea ab hac morientis narratione longiùs, quàm homo sanus ab ægroto & moriente distant. Ruit deinde omne argumentum, si dicimus (ut multi mecum sentiunt) narrationem ab *Arnesto Latine* scriptam nomine, sed *Bohemice* ad Concionem inprimis vulgatam, in latinum deinde sermonem translata; vide ea quæ *L. 1. C. 6.* sunt allata.

Diversitas  
styli læpe in  
eodem Au-  
thore nota-  
tur.

*Tras. ad lib. 1.  
histor. Taciti.*

*Lips. pref. ad  
Libros variar.  
lection.*

*Quintil. lib. 1.  
Insti. C. 1. &  
lib. 12, C. 25.*

*In Notis.*

E e e.

Ab.



Ab Antiquitate (id enim alterum obijciebatur) nihil ea de re nobis traditum, nemo mirabitur, quisquis eorum temporum negligentiam, *Arnesti* item humilitatem, latendique studium cogitavit, quo uno omnia argumenta possunt deleri; nam si latere voluit, quis prodidisset? neq; tamen Scriptores negant, etsi universim omnia, nihil speciatim expresserint. *Dubravius* Olomucensis Episcopus multa scripsisse *Arnestum* innuit, idque ipsum vitæ Scriptor, aliique certatim indicant. Quis longam illam de *sanctarum Reliquiarum cultu ac veneratione* tractationem ab *Arnesto* prodijisse suspicari poterat? neque vitæ Scriptor id tradidit, & cæteri siluere; *Lupacius* unus, inter Manuscripta versatus egregiè, nominavit Authorem. *Statuta* ipsa *Arnesti* pulcherrima latebant, nisi *Pontanus*, Decanus Pragensis Ecclesiæ, tribus Exemplaribus eruta typis edidisset. Et sanè in rebus antiquis difficilis est probatio: Bibliothecas adi, & nega hunc vel illum Libri, quem videris, authorem (de minùs celebri Scriptor loquor) equidem etsi maximè vellem, tamen tibi ex antiquitate evidenter authorem probare non possem.

In Belgio exemplar aliquod haberi quis miretur? à *Canonico ad monachos Regularibus*, ut respondet *R. P. Georgius Crugerius*, ob communia religionis, scientiæ, & virtutis studia Belgio illatus est liber. Quàm sæpe nos ipsi in Bibliothecis manuscriptos libros vidimus, & mirati sumus, qui *Coloniam*, *Herbipolim*, *Hamburgum*, in *Italiam*, *Belgium*, *Galliam*, atque etiam *Daniam* & *Angliam* pertinebant! *Pragenses* certè Libri, bello nupero translati, nunc forsitan in *Suecia* leguntur.

Cur Gallicis vocibus Marialis auctor utatur? *C. 8. Marialis & Cap. 55. & L. 100.* Jam illud quoque de *Gallicis appellationibus & vocibus* facile decutimus; paucissimas enim, & vix tres hujusmodi appellationes invenias; & quamvis *Gallicè* loqueretur, quid mirum? in Aula Summorum Pontificum, qui eo sæculo ex *Gallis* forè legabantur, vixerat, *Galliam* sæpius peragrârat, *Avenionem* in suis & *Cæsaris Caroli* negotijs Legatus toties adierat, in illius Aula (*Caroli*) versabatur, qui, in *Gallia* educatus, Gallos amabat, atque ex *Gallorum* Regum sanguine Conjugem primam in Matrimonio habebat.



habebat. Erant denique tum *Gallica in Aulis secula*, Gallici mo-  
res placebant, vocibus Gallicis omnia resonabant. Quòd verò  
de Parisina *Domine Nostra* Ecclesia scripsit, quam omnibus alijs  
per Galliam præfert, exempli instar, nihilque amplius habet:  
non secus ac si quis (etiam qui Italiam non vidit) diceret: mul-  
tas præstantes in Italia Ecclesias reperiri, sed unam Vaticanam,  
omnibus eminere; ita à DEI Matre omnes filias hominum pub-  
ehritudine superari. Deinde si tam levi conjecturâ duceris, eâ-  
dem operâ *Anglum* authorem efficies, qui Londinum commen-  
dârit, & *Anglos Richardum de S. Victore & Hugonem* maximis  
semper laudibus prosequatur.

C. 150

C. 19. Marial.

C. 140. C. 150.

Ad id, quòd DEI filium *claustralem*, utque loquitur, *Celli-  
tam* facit, facile respondetur, tum argumenti similitudine, tum  
amoenissimi ingenij mobilitate perductum, ut id probaret: cum  
enim toties Ecclesiam canentem audiret: *Clastrum MARIE*  
*Virginis* subijisse DEUM; & *Marris clausulâ* contineri: quid  
propius ingenioso Antistiti occurrere potuit, quàm JESVM in  
claustrum venientem, parvum, ut vocat, Novitium fuisse? Quam-  
quam, cum *Arnestus* Ordinum Sacrorum peritissimus habere-  
tur, cum Jura calluerit, cum tot Cœnobia condiderit, atq; etiam  
Religiosam vitam amplecti sæpius cogitârit, quis eum tam igna-  
rum fuisse existimet, ut neque quid *Clastrum*, quid *Professio*, ne-  
que quid *Capitulum* sit, intelligeret?

### §. 3. Arnestus Libri Marialis Au- thor affirmatur.

**H**Actenus, quæ adversus *Arnestum* obijci possunt; in qua  
sententia diu me quoque fuisse, aut dubitasse, dissimulare  
non possum. At ubi librum semel atque iterum diligenter evol-  
vi, socijs etiam ad laborem assumtis, si vel minimum lucis radi-  
um videre possemus, unde agnosceremus authorem; auditis de-  
nique tot Lectoribus, meque ipso in consilium adhibito, mutavi  
sententiam, cœpique credere *Arnesti* ingenio sine dubio *Mariale*

E e e 2

debe-



- I. Crag. in Pul-  
veribus sacris  
Regni Bohem.  
ult. Iunii.  
Tonner Notii in  
C. 3. Vestigij  
Bohemia.  
Colleg. Prag.  
in Dedic. Ma-  
rialis ad Ferd.  
III. Cas. Aug.  
memor. deberi. Nam 1. si *numerare Senatum*, ut veteri verbo dicam, placet, *pars hec major videtur*, & *authoritate præstantior*. Quanta in R. P. *Georgio Fero* antiquitatis omnis scientia! quanta, & quam cauta R. P. *Georgij Crugery* in historijs diligentia! quanta R. P. *Ioannis Tonner* rapiditas! hi omnes *Arnesto* librum adscripserunt. Jam verò *universum Pragense S. I. Collegium*, tum *Regius Bibliothecarius*, tum ipse *Cæsar*, hanc partem sequuntur, & sequebantur: *ad quem aliam*, ait Collegium S. J. Pragense, *Ernestus noster in terras, Bohemiãq; suam, in prole redivivus, properaret avidius, quam ad Ferdinandum Ernestum?* & post: *Ernesti liber, non pietatis minus, quam recondite sapientie famã clarissimi Pragensis Antistitis, perenne illius in Virginem amoris monumentum, &c.*
- II. Qui primi aquam effodiunt, aut thesaurum inveniunt, venas & originem inspexisse, quippe propinqui, optimè videntur. At Inventores hujus thesauri, primique & felicissimi repertores, omnes uno ore, unâque sententiã *Arnesto* tribuerunt: solétque primis illis, veritas nominum cum rebus inventis, nescio quomodo potentiùs insinuari.
- III. Illud quoque non de nihilo videtur: quòd in ejus manuscripti Codicis initio *Arnesti* insignia spectarentur, & *Vita* descripta legeretur, idque bono exemplo ætate Majorum, nostrâq; fieri solet, ut quis demum ille Scriptor fuerit, Lectores ante omnia doceantur. Neque certè tam ambitiosus *Arnestus* fuit, ut Libris, quos in usu ipse habebat, sua Insignia tanto artificio juberet appingi; adde inauratos umbilicos, sericea fila, pretiosum ex holoserico involucrum, ac cætera, quæ sinè dubio post mortem primùm, unâ cum *vita* *Elogio* in auctoris *Arnesti* honorem *Canonici Regulares* autographo addiderunt, æternæ memoriae elegantia consulescentes.
- IV. Addunt etiam & affirmant ij, qui *Glacense Archivum*, & in eo quædam manu *Arnesti* propriã scripta viderunt, simulque *correctionis* in *Mariali* libro characterem spectârunt (quo etiam in numero ipse sum) affirmant, inquam, utroque collato characterè, *manum se VEN. Arnesti* agnoscere, nihilque eâ re certius esse.



esse. Nimirum amanuensem correxerat *Arnestus*, debebat, subtrahebat, quædam etiam adijciebat (quod ego ipse memini me in M.S. *Marialis Codice* observasse) jam quis credat alieno in libro tantum sibi authoritatis *Arnestum* assumere voluisse? pugnat hæc audacia cum infinita, ut ita dicam, ejus viri humilitate, neq; id ego unquam mihi persuaserim, malimque characterem *Arnesti* negare, quàm audaciam hanc in *Arnesto* fateri. Potentia certè sunt hæc argumenta; quibus par nullum, adversa pars unquam poterit adferre; vel hoc unum, quod attuli modò, satisfacit humanæ prudentiæ tantam antiquitatem, & *Arnesti* latere cupientis humilitatem cogitanti. Sed plures etiam conjecturas habemus.

Accedit illud, quòd *Arnestus sua visionis*, etsi obscuram, sapientibus tamen satis apertam Mariali Libro facit mentionem: Si, ait quodam loco, *aspectus Reguli, sive Basilisci, tantam habet virtutem malitia, ut interficiat hominem; cur non dicam Beatissime Virginis oculos tanta esse virtutis & gratia, ut suo aspectu vivificet animam, vel ad vitam resuscitet hominem? ideo toties nos misereri & exules ad ipsam suspiramus gementes & flentes, atq; dicentes: Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte! Reflectat animum Lector, ad *Arnesti*, quod cantari in perpetuum instituit, *Salve Regina*: nam sub eo DEI Mater sese avertit, & eo precante verbis illis: Eja ergo Advocata nostra, &c. ad poenitentem conversa, respexit.*

Inveniuntur quædam in *Libro Mariali* sententiæ stylo *Arnesti* prorsus congruentes; talis est illa ex Statutis: *non potest esse Pastor excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.* In Mariali prorsus ad hunc stylum: *cùm speciale aliquid à Pastore queritur, ignominiosum est, si tunc querat, discere, quomodo debeat enodare.*

Amor ipse, quo erga DEI Matrem ferebatur *Arnestus*, suspicionem facit. An credibile est, tam doctum & sanctum Præfulem, qui plura scripserit, nihil de Virgine annotasse, cùm sæpe post mediam noctem, & quotidie post lectum auditumve Sacrum, de ea, ut vitæ Scriptor loquitur, *meditaretur, & postea morosis accentibus ruminaret?* Hanc meditationem suam occultissi-

V.

C. 107.

VI.

Statuta Arnes-  
nesti in Reg.  
Juris, in fin.

C. 16.

VII.



mè in *Mariali* ipse expressit: *MARIA*, inquit, dicitur *ager*: *Marth. 13.* & *Proverb. 31.* In hoc agro bonum est, inquit, meditari, sicut faciebat ille *S. Patriarcha Isaac. Gen. 23.*

## VIII.

*Cap. d. C. 4*  
*C. 27. C. 111.*  
*& C. 159.*

Utitur sæpe *Sequentijs* & *Prosis*, ut illa sæcula vocabant, *Pragenſi Eccleſiæ* uſitatis, quas ipſe more *Episcoporum* cum *Canonis* canebat; nam ea tempora id ferebant. *Plurimæ* hujusmodi *Sequentiæ* poſſent adferri, quas cum antiquo *Pragenſi Miſſali* & *Breviario* concordare animadverti: *Confortatum eſt cor Virginis, &c. Mirrit ad Virginem, &c. Dum paris & gaudes, cantant Cæli agmina laudes, &c. Cantamus.*

## IX.

*C. 125 & c.*

De *Sanctorum Reliquijs* glorioſè loqui ſolet, fuitque hoc *Arneſto* peculiare ſcribendi argumentum, ut antè notavi:

## X.

*C. 62. C. 101.*

Hoc etiam obſervatur, *Regem Galliæ* nunquam nominâſſe, ſed *Imperatorem* ſæpius. Cujus etiam divitias laudat; quod neque in *Ludovicum Bavarum*, neque in *Henricum* eâ ætate quadrare potuit, ſed omnium optimè in *Carolus IV.* divitijs, ut ſciamus, affluentem.

## XI.

*C. 7.*

In *Titulo Capituli de Stella*, ait: ejus proprietates optimè applicari poſſe (in concione) *Beatiffimæ Virgini*, vel *S. Joannis Baptiſtæ*, vel *S. Auguſtino*. Mihi probabile eſt, *Arneſtum*, dum hæc ſcriberet, *Glacium* præ oculis habuiſſe; hæc enim tria feſta *Glacij* maximè celebra. Nam in primis *Beatiffimæ Virginis erat Templum*; in *Monte S. Auguſtini*, quos fundarat, habitabant *Canonici*; ſub monte *S. Joannes Baptiſta Melitenſium*, apud quos ſibi ſepulchrum elegerat. Adeoque nihil eo argumento *Concionatoribus* aptius poterat inveniri.

## XII.

*C. 22.*

*Turres* amâſſe *Arneſtum* ex ejus ædificationibus conſtat, & pridem oſtendi; eaſdem amavit in libro, quotiesque nomen *Turris* occurrit, laudavit; quodque ampliùs eſt, dum *Sanctitatis Turrim* eleganter deſcribit, inter alia ex ea *Turri Clypeum*, aut *vexillum pro Martyribus* rubrum ſuſpedit, in quo *Leonem*, *Bohemix* inſigne, depinxit.

## XIII.

*Privatum* & *Religioſum* aliquem (ut duo illi, tresve putant) fuiſſe nunquam inducar, ut credam: magnâ nimis liber-  
tate.



tate in Præsules & Canonicos invehitur, quod vix auderet Regularis, aut Monachus. *Valles pinguiſſima*, ait quodam loco, *sunt Beata Virginis Præbendales Ecclesia*, in quarum vertice interdum *sunt Superbi, ebrj, &c.* Amorem Nepotum in Prælatis diriffimè exagitat.

Credo etiam, si certæ alicui Religioni adscriptus fuisset, non dissimulaturum, quin aliquando *S. Pater Augustinus, S. Pater Franciscus, &c.* aliudve simile verbum, aut Regularis aliqua disciplina nota, temere, scribenti excideret.

Apparet plurimas terras hominem peragrâsse, quod homini privato & Religioso non congruit satis; at *Arneſtus* & juvenis, & postea Legatus *πολύτροπος*.

*Qui mores hominum multorum vidit & urbes.*

Mare ad Hispaniam nominat de *marroë*; Londinum commendat, sæpe Gallia mentionem facit: apud Venetos SS. reliquias recenset, &c.

Quod autem, nè semel quidè, *Bohemiâ* nominârît, id fortasse cum latere vellet, deditâ operâ prætermisit. Quædam tamen scintilla patriæ, licet præſerit, obſistunt: vocat *floridum Pascha*, quod Bohemi *floridam Dominicam* vocant; ait *Beatissimam Virginem* esse similem agro, qui interdum intus plenus est auro & gemmis, & extra frugibus & arboribus; id vel in Bohemia videre *Arneſtus* potuit, & *Caroli Caesaris* ævo magnis laboribus in agris lapides pretiosi quærebantur, & inveniebantur; ait in domibus ancillam *omnibus capita lavare solere*: id apud veteres Bohemos usitatissimum; In Templis *fenestras* esse historijs Sanctorum depictas: id Majoribus nostris, velut magnum in Sacris splendorem, *Aneas Sylvius* attribuit, nosque ipsi in vetustissimis templis videmus; quin adè *Arneſtus* in templorum fenestris sese pingebat ante Divam flectentem, ut vitæ Scriptor narravit.

*Chymica* deinde scientia, in qua se mirè versatum Author ostendit, ab instituto Religioso aliquantùm abhorreere videtur; magisque convenire *Prælato*, quem nescio quos thesauros invenisse jactavit *Antiquitas*.

Tem-



XVIII.

C. 112.

C. 110.

XIX.

Templa, quæ *Arneſtus* erexit, omnia Beatiffimæ Virginis honori dedicavit. In hanc ſententiam in libro *Mariali*: *mone- mur*, ait, *per Templum (quod eſt B. Virgo) omnia Templa materia- lia in honorem B. Virginis conſtructa diligere & honorare.* Et ali- bi: *Pleriq; in Religionibus omnes Eccleſia in honorem Virginis con- ſtruuntur.*

Conſtat ad extremum, *VEN. Arneſtum S. Ioanni Baptiſta, tum Ioanni Evangelifta*, ac tandem *S. Mariæ Magdalena*, deditiſ- ſimum ſemper fuiſſe: (cuius rei argumento ad ſepulchrum ſuum *Glacij*, ſacris eorum diebus, *Pietancias*, ut vocabant, fieri juſſit) idem in eos amor in *Pſalterio B. V. paſſim* elucet, nam ex omnibus Sanctis hos Divos delicatiùs ſemper nominat, nullumque alium, præter hos, & *S. Auguſtinum*, præfixis in eorum laudem titulis, honoravit. De *S. Ioanne Baptiſta* vide titulum C. 7. De *Evange- liſta* Caput 49. *Mariam verò Magdalenam* toto ſermone 27. dilaudavit.

*Ariſtoteles in  
Problem.*

Hæc ſunt, quæ pro parte affirmante Libro toto, & ſæpius diligenter perlecto, veſtigijs omnibus, ſicubi Author ſe proderet, anxie examinatis, adduci potuerunt; liberam tamen Lectori, utrum velit, ſentiendi poteſtatem, meâ bonâ gratiâ, relinquo. Librum hunc, niſi composuit, familiariffimum certè habuit *Arneſtus*; nimirum affectu in DEI Matrem incenſus, omnia in amo- ris ſui pabulum rapiebat, ut *flamma major trahit minorem*: Ego, quod ſenſi attuli, ſi quis obniti & pugnare viribus velit, *nos talem conſuetudinem non habemus*. Neque iſta, licet alteri tribuantur, *Arneſto* quidquam auferre poſſunt, quem ſua in cælum merita vocaverunt. Quantos in Eccleſia DEI, & quàm ſanctos Præſules habemus, quorum monumenta ingenij Antiquitas amiſit, aut non habuit? Exempla, librorum loco, nobis reliquerunt, & la- borem pulcherrimum immortalia geſta ſcribendi; *Mariali* non eget, qui ipſe *Marialis* totus, & *MARIE* à puero conſecratus fuit. Quòd ſi tamen poſt tot præjudicia, argumenta, & conje- cturas, quibus ſatis tutò humana prudentia niti poteſt, hæc Libri partâ poſſeſſione *Arneſtum* detrudere, & aliud ſequi cuipiam  
pla-



placet, isque alium sibi nominari petit, habeo velut secundarum Partium Authorem, qui, cum ab *Arnesto* discessero, satis videtur idoneus. Is est *Ioannes I. Glacensis Præpositus*, *Raudnicio* Glacium ad eam dignitatem ab *Arnesto* vocatus, de quo vetus Manuscriptum: *Ioannes est nomen primi Præpositi Glacensis, qui rexit ab A. 1350. usq; ad 83. nam A. D. 1382. viam universæ Carnis ingressus est. Hic fuit vir litteratura magna, & \*\*\* utiliter rem gloriosam super Psalms collegit, quam collecturam appellavit Plectrum, & proprijs manibus conscripsit in duobus voluminibus, &c. Item Epistolas B. Pauli ad Romanos, &c.* Notandum, in M. S. hiatum esse post illa verba: *litteratura magna*; suspicorque legendum: hic fuit vir litteraturæ magnæ, & *Jubilum* (vel quid simile) ad *Virginem gloriosam super Psalms collegit, quam collecturam appellavit Plectrum*. Quid si etiam loco *Jubili Psalterium* fuisset? nam liber *Marialis Psalms* habet numerum, & super *Psalms* collectus dici posset. Quid si etiam rudis manus, ex contractione vocis *Psalterium*, *Plectrum* fecisset? Hæc ita olim suspicabar, sed imbecilla omnia sunt præ *Arnesto*. Deinde si *Plectrum* appellatum fuisse *Mariale* contendas, autoritate Manuscriptorum obruëris, in quibus disertissime hunc tantum libri titulum invenies: *Psalterium de Laudibus Beatissima Virginis, sive expositio Nominum Beatissima Virginis*. Cur verò, nè semel quidem toto libro *Plectrum* nominavit Author, id quod sine dubio faciendum fuit, si eum titulum Libro suo dedisset? denique ex Præfatione ipsa apparet, *Psalterium* hunc librum esse vocatum: *Invenies, ait Author, quasi quendam chorum citharadorum citharizantium citharis suis laudes MARIE, ut sit Psalterium jucundum cum cithara; ut quemadmodum Psalterium Davidis laudes Christi, ita in hac cithara Laudes Virginis decantarentur.* Sed neq; ex *Psalterio Plectrum* fieri potuit tam facile, duoque Manuscripta ipse vidi, quæ clarè non *Psalterium*, sed *Plectrum* à Joanne Præposito Beatæ Virgini dedicatum affirmant; adde tot argumenta pro *Arnesto* pugnantis; & cur tandem *Ioannes Præpositus, Arnesto* posterior, libro suo Præsulis insignia appingere voluisset?



412 DE VITA VENERABILIS ARNESTI LIB. IV.  
set? Ego ad Lectorum iudicium provoco! perinde interim ha-  
bebo, quamcunque pronunciarint sententiam.

Omnia Capi-  
ta in Arnesti  
libro incho-  
antur à voce  
MARIA.

Observandum hoc quoque venit: In primis, etsi audacter  
satis Typographi Pragenses Libro nomen MARIALIS imposue-  
rint (cum auctoritatem non haberent) tamen id non abs re, &  
iudicio fecisse videri, cum omnia Libri Capita à MARIÆ sacro  
nomine inchoentur, ideoque MARIÆ appellarunt. II. gravis  
est Typographorum error, quod Capita 151. fecerint, cum nu-  
merum Psalmorum tenere Author voluerit, ut ex præfatione  
animadvertitur. Errore igitur accidit, ut Capiti centesimo qua-  
dragesimo secundo, per oscitantiam, numerum 143. addiderint;  
unde in reliqua Capita protractus est error. III. Et illud qui-  
dam curiosi monuere, Præfationem ad Librum hunc non videri  
factam, cum, præter alia, disertè scribat Author: *Præfatio in  
Salutationem Angelicam.* Sed videlicet egregiè viri optimi fal-  
luntur; neque diligenter satis Præfationem examinasse viden-  
tur: *Arnestus* enim Psalmos, & titulos rerum creatarum, &  
dictiones, quæ in Angelica Salutatione leguntur, comparavit,  
proditque ex omnibus, ut ibidem notat, promissus ille numerus  
150. adeoque *Annunciationi Virginis*, seu Salutationis Angelicæ  
honori totus ille scribitur Liber. Quod ipsum mirificè senten-  
tiam nostram de Authore *Arnesto* confirmat: nam *VEN. Præ-  
sul* die Annunciationis MARIÆ natus, ut ex *Procopio*, *Lupacio*  
constat; hanc diem omni vitâ (quasi in gratiam MARIÆ geni-  
tus) præ cæteris omnibus colebat; huic *Annunciationi Virgi-  
neæ* magnificum Glacij Templum in monte condiderat, illudque  
A. 1349. eodem in Virginis festo *proprijs manibus* (ut ait M. S.)  
*consecrârat*, ejus denique honori, in solitudine Glacensi præci-  
puè, Librum à se scriptum, dedicârat.

Haftenus de Libri *Marialis* Authore disputatio; in qua di-  
ligentiæ alicujus meæ Lectores, ut spero, testes habebo.

Fabu-



Fabulosæ quædam de VENER.  
ARNESTO narrationes rejiciuntur.

## CAPUT XXII.

**N**Arrationibus, etiam verissimis, admiscere sese *fabula* Fabulæ li-  
solent, habétque hoc anile vetustas, ut faciliè credat, benter hi-  
multa narrando confundat, nomina permisceat, & se- storiam in-  
nillem memoriam imitetur, apud quos decennium unus sæpe an- trant.  
nus est; noxia res historiæ! nam, ut præclare Aristoteles: *au- 2. Metaphys.*  
*dire fabulas, est impedimentum cognitioni veritatis.* Tentavit id  
quoque fama vetus, & rumusculi quidam inanes & cassi, & *sibi-*  
*la colla* (ut cum Poëta, de serpentibus loquente, loquar) circum  
VEN. *Præsulis* sepulchrum luserunt. Deceptum hisce sibilis vul-  
gus hominum faciliè ferimus, at decipi Viros egregios, & histo-  
riarum conditores miramur, & dolemus: *E miraculis Ernesti*, ait *L. 3. A. M.*  
Scriptor recens, *illud inter celebriora ad me per scriptum est: quòd*  
*cùm sub Rege Bohemia Georgio excommunicato, quidam equo Sancti*  
*caput macherâ amputavissent, ipse equum, apposito capite, conscen-*  
*derit, domumq; non incommodè pervenerit, ubi tamen per se revulso*  
*capite equus in terram se explicuit.* Nobile miraculum! si ejus  
Autiores *Chronologiam* examinâssent. Quid enim sub *Georgio*  
*Rege Ernestus* agere poterat, qui jam centum propè annis qui-  
escebat in tumulo mortuus? Vivente adhuc *Carolo* Cæsare Arne-  
stus A. 1364. obierat, omnium historicorum uno consensu;  
*Carolo* successit *Wenceslaus*, huic *Sigismundus*, *Sigismundo* *Alber-*  
*tus*, & isti *Ladislans*, tum denique *Georgius* Rex A. 1458. creatur.  
Nihil itaque *Arnesto* & *Georgio* commune, nisi quòd, ob ejus Re-  
gis in Catholicos odium, *Arnesti* sepulchro oleum fluxit, idque  
idem ipse Author, sui immemor, narravit.

Fff. 2.

Alia



II.

De Equo Ar-  
nesti volu-  
cri.

Alia quoque fabella ab hæreticis, ut apparet, conficta, *Glacij* circumfertur; cunis infantum, & nutricis pallio digna: *Arnestum Equum* quendam volucrum habuisse, eoque solitum vehi per terras & maria, uno die *Roma*, & *Praga*, & *Glacij* videri potuisse. Quid jam superest, nisi ut *Arnestum* Dædalum faciamus? Inventa, ut dixi, ab hæreticis fabella est, ad sepulchri & miraculorum honorem elevandum. Quid verò utrique fabulosæ narrationi causam dederit, facile conijcio. Ferebat *Arnestus* in clypeo Nobilitatis paternæ, *Equifrenati Caput* abscissum (cujus rei originem in *Malovecciorum* Equitum Stemmate narravi) hodie quoque marmore exsculptum caput illud in sepulchro videmus. Ergo cum vulgò quæreretur: quid illud *Equelli Caput* in tumulo signaret, audissetque unus aliquis Equo caput abscissum (quod uni è Majoribus *Arnesti*, in *Mediolani* oppugnatione acciderat, ut ibi narravi) id ad ipsum *Arnestum* transtulerunt; cumque sub Regibus Catholicis id pati non potuisse Episcopum viderent, ad *Georgij schismatici Regis* tempora fabulam (contra omnem Chronologiam) protruserunt. Sequenti fabellæ argumentum dedit: quod *Arnestus*, quotannis sese in solitudinem abdere solitus, Beatissimæ Virgini, uno tantum servulo conscio & comite, ferviret, diditque rumore, cum aut *Romam*, aut in *Galliam*, aliove abijisse crederetur, repente absoluto illo pietatis officio, ubi non sperabatur, compareret. Ea res sermonibus primùm causam præbuit, deinde, cum modus non appareret, in fabellam versa est.

III.

In *Glaciogra.*Fabula de  
bobus Arne-  
sti corpus  
vehentibus.

Tertiam de Arnesto fabellam *Alurium*, olim *Glacij* Lutheranus Prædicans, refert, eamque se in manuscripto quodam libro affirmat legisse. Res sic habet: *Arnesto Archiepiscopo* morto, de loco sepulturæ amicos dubitasse, cum controversiam nemo finiret, sacrum Præsulis corpus imposuisse currui, & boves junxisse; junctos boves sponte, nullo monente, omne iter emensos, *Glacium* properavisse, atque inde ut discederent, nunquam percelli potuisse. Hoc divinæ voluntatis indicium accepisse Amicos, & *Arnestum* condidisse *Glacij*, eo loco, in quo boves steris-

sent.



sent. Non eget refutatione fabella. Satis enim probatum est, sepulturæ locum pridem ab *Arnesto Glacij* ante Imaginem DEI Matris delectum: quòdque de bobus affertur, ex aliorum Sanctorum historijs petitum, malè sinè dubio *Arnesti Purpura*, ut vilis pannus, affluitur, quem ditissimum Principem, multo & splendido in comitatu, multis cum lacrymis sepultum scribit *Wenceslaus Hagecius*, Bohemiæ historicus unus è primis.

*Arnesti Testamētū, de quo supra Lec.*

Fabulis itaque dejectis, totâque *Arnesti* Vitâ, & Imaginibus pulcherrimarū virtutum (quantum à me sciri potuit) repræsentatâ legentibus, quid jam superest aliud, quàm ut Viro tam Illustri quondam in terris, nunc (ut plùs, quàm sperare, licet) in cœlis coronato, in hac Imagine vitæ ejus, *Radijs* addamus? Non eos quidem, quibus Ecclesia Catholica Sanctos honorat, sed quos mortalis manus mea, & historiæ labor potest effingere, quòsque Viri maximi Nobilitas, Sapientia, Dignitates, Virtutes, ac denique Gloria Cœlestis meretur. *Eques ille melior Bellerophonte* in fabulis Poëtarum, cùm Imaginem formosissimæ Puellæ Virginis, quæ in saxa admiratione pulchritudinis, ut Mythologi docent, homines vertebat, aspicere ob periculum non auderet, objecto purissimo clypeo, ejus Imaginem excepit & spectavit. Idem mecum agant Lectores, cùm nondum in seipso venerari *Arnestum* publicè audeant ut *Sanctum*; Imaginem tamen aliquam ejus gloriæ in hoc libro affectam speculentur: *Octo Beatitudinibus humanis, & octo divinis*, velut totidem radijs, in hac vita mortali lucentem; nam illa præmia, quæ *Arnesto servo fideli* præparavit DEVS, *in cor hominis non ascendunt*, totâque gloriæ illius æternæ pars, quâ Cœlum respicit, nobis est in Eclipsi.

*Persus.*

*Persus.*

*Natalis Comen in Mythologia.*

## Octo humanæ Beatitudinis Radij, quibus ARNESTUM viventem illustravit Divinitas.



## CAPUT XXIII.

Venerabilis Arnesti vitam tot tantisque humanæ ac divinæ felicitatis muneribus & præsijs ornavit, munivitque DEVS, ut nullam propè invenire laudem possim, quam ejus illustrissima vita desideret. Conspirasse mihi cœlum & terra videntur, ut, velut in fabulis *Pandoram*, sic *Arnestum* vel in hac conditione mortali dotarent, & ditarent omni genere bonorum. Non sum tam hebes, tamque vastæ spei, ut existimem in hac infelicitatis & lacrymarum valle beatitudinem obtineri posse: nam quâ rarione beatam vitam invenias, ubi vita non est? sed ajo hanc *bracteatum*, ut Seneca loqui solet, & *adumbratam*, (cui tamen ipsi sæpe invidetur) *felicitatem Arnesto* nihil cogitanti, adeoque etiam fugienti oblatam, & effusam in sinum tantâ copiâ, ut rarò tam nobilis, tam honorata, tam dives visa sit virtus, atque inter prodigia possit haberi. Enituit aliquis Nobilitate, sed obsolevit virtute; virtute superavit omnes, in honore obiit; alius Aularum apicem nitendo attigit, sanctimoniam vitæ, & innocentiae famam amisit, aut fortè etiam præceptis ad ima descendit; honores adeptus est, generis Nobilitatem non habuit; scientias omnes tenuit, abjectè & contemtè vixit; *Arnestus* omnia hæc, qua *divisa Beatos perficiunt*, collecta in se uno tulit. Felicitas hæc paucorum est, cum ferè qui dote fortunantur unâ, ut Scribanus loquitur, *destituantur alterâ*. Nobilissimo genere ortus, idem divitijs inclutus, scientiâ summus, dignitate Archiepiscopus, Princeps, Cardinalis, & tantùm non Pontifex, præcipuus in gubernandis Imperijs *Caroli Casaris* minister, inter hæc *sanctus, incorruptus, segregatus à peccatoribus, & cœlo altior* ab omnibus habebatur, & erat. Felix, qui res tam diversas, totòque cœlo distantes, tantâ arte copulare potuerit, ut in autoritate & nobilitate maximi generis, intèrque opes medias, spiritu pauper, & mitissimus esset, lenissimisque; in admirabili doctrinæ gloria, & ingenij, ut ita dicam, *Universitate*, quæ siccare affectuum fontes solet,

Arnesti humana & divina beatitudo.

Clau.

Scriban. prof. in Politica.



solet, lugeret, paratissimamque semper, & tenerrimam haberet Pietatem; In Legatione Apostolica Pacem, in Aula mundum Cor, in Archiepiscopali Pallio misericordiam retineret; in Principatu pro Justitia dimicaret; in Purpura, totque alijs sanctitatis insignibus nondum se arbitraretur comprehendisse, sed esuriret semper, & sitiret Justitiam. Legisse memini in *Ctesia*, cum nescio quis mercator Indicus, naufragio pretiosissimis gemmis amissis, & in mare effusis, unam omnium elegantissimam, *Pan-tarben* nomine, servasset, eam pacato jam mari filo tenui demississe in fundum, quæ paullatim gemmas omnes amissas revocavit, & attraxerit; tantam illi gemmæ vim Natura tribuerat! Fabulosa narratio sine dubio, sed ista verissima: *Arnesti* animam è cœlo uno pendentem, à DEO in mare hujus sæculi demissam, omnibus continuo divinis humanisque bonis spontè affluentibus, & splendoribus Sanctorum radiasse sic, ut verè vetus illud dici posset: *dispersos virtus radios collegit in unum*. Porro hosce *Venerabilis Antistitis* radios, gemmarum & lapillorum pretiosorum scintillis & radijs comparari optimè posse sum arbitratus, tum quòd videam DEVM ipsum, cum Aaronem suum indueret, velut præcipuum Lucis decus, gemmas addidisse, è quibus divinationem ipse peteret, aliisque dignitatem suam hæc radiorum innocentiam commendaret; tum etiam, quòd gemmarum radijs nihil pretiosius, nihil venustius, nihilque innocentius Natura rerum procreavit; ac denique quòd *Bohemia Prasulem* decere maximè videatur patrijs donis, & gemmis quibus hæc tellus abundat, honorari & inaurari.

Ctesias in Indici.

De Gemma Pantarbe mirabilis narratio.

## I. HUMANÆ BEATITUDINIS RADIUS

GEMMEVS EX PNIIONIBVS ET MARGARITIS.

NOBILITAS ARNESTI, ET CLARUM GENUS.

**D**Epinge animo *Concharum, Margaritarum, & gemmarum Matrem, & Matricem*, quæ Auroræ rubentis contacta radijs super mare navigat, & hians occurrit ad conceptum; rore

Emblema Nobilitatis in Arnesto

inte.



interim lucidissimo cadente velut Lucis stillâ, & *Vnionem* in *Concha* pariente. Inscribe si placet: *Ex ortu pretium.*

De Conchis  
earumq;  
gemmais.

Ammianus  
lib. 23.

Barthol. Bar-  
riensis in  
Annos. C. 6.  
agit acerya-  
tissime.

Generatio *Margaritarum* aptissimum Nobilitatis est sym-  
bolum apud Eruditos. Nam & Concharum caro, candidissima  
hominum carni persimilis est, & ipsam Nobilitatis & Venustatis  
DEAM, Nymphasque omnes & Gratias inter gemmas nasci Poeta  
fabulantur, & nascentes & parientes salutant. Difficilis est gem-  
marum Nativitas! nam & mare flere, & cœlum ridere, & Au-  
roram allucere, & rorem lucidum decidere, ut Unio pariat, ur  
oporet. Ros illi materia, Lux animæ loco datur, nasciturque  
& noscitur ex radijs. *Lux* (unio clamat) *me genuit!* ideoque  
uniones ad lucem, velut ad Matrem, libenter veniunt, cum eo-  
rum omnis gloria sit videri. Si nebulosum, dum concipiuntur,  
cœlum est, nubilum trahunt colorem; si tonuerit, abortiunt; si  
serenat, candidi, lactei, argenteique gignuntur; quale cœlum  
primò nascentes viderint, tale præferunt; *Cœlum fronte gerunt,*  
*lux illis de luce, lumen de lumine.* Ita nobiles animos accensa  
Majorum lux accendit, ex ortu illis & pretium accedit, & virtus.  
Hanc *Vnionum* gloriam, singulari profus munere, Bohemie Re-  
gno addidit Deus. In Europa *Margarita* multis locis inveniun-  
tur (ait peritissimus Rudolphi II. Cæsaris gemmarius, & Medicus

L. 2. de Gem-  
ma C. 37. ad  
Cas. Rudolf.

cubicularius Anselmus Boetius Brugensis) verum qua in Bohe-  
mia prope *Hora* & *dioxicium*, *Strakonicium* & *Rabi* Arcem colli-  
guntur, mihi ceteris præferri posse videntur. Vidi enim nonnullas,  
qua vix ab Orientalibus possent discerni.

Arneſtus:  
Margarita  
Bohemie  
pretiosa ob  
Nobilitatem

Talem Bohemice *Margaritam*, ortu nobilissimam, non tam  
Natura, quam Gratia & cœlum produxit, VEN. *Arneſtum* de  
*Pardubicz*; qui nobilissimo ortus genere, Dignitatem & Nobi-  
litem corpore ipso præferbat: erant gemmei mores, manus  
plenæ hyacinthis & gemmis, quibus dona & munera, velut glo-  
buli, ut est in sacris litteris, volverentur; aderat amabilis, & in  
summa comitate veneranda Majestas, quæ plurimum traheret  
de cœlo; serenitas, ut cœli gemmas parientis. At quia in Gem-  
mis & Perlis *Conjugium*, ut vocant, seu *Par* spectari & quari so-  
let,



C. XXIII. HVMANÆ BEATIT. VIII. RADII. 419  
let, Ernestum II. geminum Eminentiss. Principem Cardinalem Ar-  
chiepiscopum invenit Bohemia; quo pari gemmeo Pragensis Eccle-  
siæ facies nobilitabitur in ævum.

DE NOBILITATE, EJUSQUE RADIIS.

**N**obilitas alienum bonum, *Arnesto* proprium fuit. Si na-  
tura negasset, Nobilitatem ei Virtus dedisset. Gloriari ille  
Avis & Atavis nobilibus potuit, sed illi longè magis *Arnesto*, si  
viverent, gloriarentur: Majorum enim Nobilitatem factis &  
honoribus proprijs superavit, ut nè Majores quidem *Arnesto*  
majores & honoratiores essent. Qui virtutem habet, fundum  
& solam habet, ex quo Nobilitas nascitur; facile est fructus le-  
gere, cum tibi fecunda & felix arbor domi crescit. Nobilita-  
tem Viri magni non obtendunt, sed habent. Infantum est nobi-  
les nasci, virorum fieri. Illa nobilitas in utero alieno datur, hæc  
in proprio cujusque animo concipitur. Beatus qui nascitur, bea-  
tior qui nobilis fit, beatissimus qui utroque (ortu videlicet &  
factis) nobilitatur. Nobilitas est ut *folium*, quod gemmarum  
fundo subijcitur: nec emitur quidem, nec venditur, sed gemmis  
mirabilem addit gratiam, & *aquas* (ut vocant Gemmarij) quã  
hilaritate nihil oculi vident hilarius. Hoc virtuti Nobilitas.  
Equestri ortus stirpe noster *Arnestus*, Equestri & triumphali  
portã simul in gloriam, simul in vitam ingressus est; ut eadem  
Cælum ingrederetur, virtute perfecit. *Caput acris Equi & sali-*  
*entis in hostem*, equestri gloriã partum à Majoribus decus, piã  
virtute mutavit: Equum hunc *ex campo* & pulvere belli adegit  
*in Cælum*, alãque ingenij, doctrinãq; addidit, ut, velut *Pegasus*  
ille stellis expressus, luceret; meritoque *Metropolitana Pragensis*  
*Ecclesia* in Templi tholo, velut in cælo suo, inter Imperatorum  
& Regum Zodiacum, hunc *Arnesti Equellum* lucentem collo-  
cavit. Quod si huic Equello Horatianũ illud inscripseris: *Est in*  
*Equis patrum virtus*, Nobilitatem magni hujus Præsulis exprẽ-  
feris; nam ut Equorum stemmata, sic hominum genus Patres  
suos, Naturã filatim ducente, imitatur.

Nobilitas  
virtus non  
est, sed ma-  
gnum addit  
pretium.

Ggg

AD



## AD NOBILITATEM.

Nobilitas, si nobilitas tua stemmata, pulchra es!  
Nobilitate, animi nobilitate, genus!

## II. HUMANÆ BEATITUDINIS RADIUS

EX AVRO.

VEN. ARNESTI INGENTES DIVITIÆ, ET  
PAR BENEFICENTIA.

Aureus flu-  
vius Arne-  
stus ob divi-  
tias libera-  
les.

**D**Epinge *Fluvium* auriferum ex montibus aureis, seu aurifo-  
dinis, prorumpentem, & aureas arenas ac gemmas vehen-  
tem (qualis *Watawa* apud nos est) hic dives Fluvius, plurimas  
urbes & oppida innumeris erroribus alluat, cui Fluvio inscribes:  
*Errando prodesse volo.*

Philostr. in  
Vita Apollon.  
lib. 5. c. 9. &  
12.

*Fluvium beneficentia* typum esse quis non videt? qui cum  
præterea aureas arenas vehat, est *dives in omnes*, novoque & au-  
reo beneficio commendatur. Nilum *Aegypti craterem* Veteres  
appellârunt; & *Vespasianus*, non malus Imperator, ad *Aegyptios*  
oppressos, *ex me*, inquit, *atq; ex Nilo haurite!* quo dicto mirificè  
miseros recreavit. Porro observatum est, *Fluvios auriferos* sæpe  
in aurifodinis nasci, atque ibi suos quasi fluctus inaurare, au-  
reasque arenas volvere, & elucere; quod, auctore Plinio, pro-  
batissimum est Auri genus. Fluctus colorari dubium nemini esse  
potest; vide quæ de flumine Croceo Sinicus Atlas scripsit; & de  
Nilo, *lateq; colorat aquora*, cecinit Catullus. Talis igitur VEN.  
*Princeps Arnestus*, cujus hæc imago. Hic, velut aurifer fluvius,  
aurum potabile populis propinabat, ab eo toties sublevata, *fame*  
*moriens Bohemia*, est, quam universam benefaciendo peragrabat,  
ut errando prodesset, cum *Arnestum* currus onusti pecunijs &  
panibus sequerentur. Sed de ejus infinita propè liberalitate jam  
pridem egimus, nec vacat repetere.

Divitiarum  
contentus  
verè sunt di-  
gitus.

## DE DIVITIIS ET AURI RADIO.

**A**uro pretium hominum æstimatio dedit; itaque etiam po-  
est.



test auferre: auferunt qui non æstimant. Et sanè neque bonum, neque malum, aurum & divitiæ sunt, sed ex possidente, & bono usu, bonitatem, aut ex malo malitiam trahunt. *Usus*, divitiarum divitiæ sunt, & æstimantur ob usum; qui aurum condit, cum auro pretium quoque ejus abscondit. Potest igitur inter medios thesauros sedere Paupertas. Quid enim pauper ab avaro divite differt? proximâ etiam felicitate hic infelicior, quia auri pericula & curas habet, auri gaudium non habet. *Beatitudo non est, qua se beatam nescit; nes dives, qui se divitem non putat.* Desideramus enim, quæ non habemus. Hinc animus; non arca, dives est; & divitiæ sunt Virorum, non Viri divitiarum. Avaros *Fortuna Draconum & Gryphium* loco habet, qui servant thesauros ijs, quos ipsa destinavit: tantum habent, quantum expendunt. *Arnestus* Præsul liberalissimus, cum auro velut fluvius exundaret, *vicit opes animo*, & velut divitiarum Deus habebatur, quia semper posset, semperque vellet donare. Ad eum, velut ad *aureum milliare*, viæ pauperum omnes tendebant. Illudque mirabile in *Arnesto* notavit Antiquitas, quòd post tantas *Ædificationes*, *Foundationes Ecclesiarum*, *Cœnobiorum dotationes*, & immensam in pauperes suos liberalitatem, plura tamen denuo haberet, quæ daret. Aurum spontè ibat ad aurum, & *uno ramo avulso alter aureus* apparebat. Habeat igitur suum *Equum argenteum Curtina*, habeat *aureum Gilovia*, Aureum Principem, non *Equum* (*Arnesti* insigne) virtus Cælo donavit, cum *Arnestum* donavit.

*Petrus Berti*  
in Tab. Geograph.  
Hæge,  
C. Dornav. in  
Principe Inventi. mit.

## III. HUMANÆ BEATITUDINIS RADIUS

CRYSTALLINEVS.

## VEN. ARN. SCIENTIIS OMNIBUS EXCULTISSIMUS.

*Speculum*, ex lucidissima gemma *Crystallo* confectum, propono, *Symbolum* scientiæ in *Arnesto Crystallus*. Sante quod tabulam cœli & terræ constituo, quam nimirum tabulam repræsentat *Crystallus*. Inscribe deinde hæmistichium: *Quod speculator, capio.*

Doctorum hominum speculationes; & Curæ erudita, speculo

G g g 2

culo



culo videntur perfimiles; omnium enim rerum creaturarum species habent in intellectu, eaque etiam attingunt & penetrant, ad quæ lux non potest accedere. Crystallinum verò speculum obiecti, quòd inter gemmas nihil præ *Crystallo luci* similius invenitur; neque Sole eget, quia etiam noctes illustrat. *Crystallus* ipsa dat rebus lucem, quæ cum species emittunt, rursus ad *Crystallum* referuntur, adeoque amabili quodam & arcano lusu & commutatione naturæ, dat gemma lucem, & speciem recipit pro luce. Deinde speculo vigiliæ Sapientium aptè exprimentur; semper enim speculum vigilat, nunquam oculum claudit, ut rerum simulacra repræsentet. Etiam tenebras (quamvis sine specie) ostendit, tamen in speculo nemo adhuc vidit. Tale in *VEN. Arnesto* Scientiarum speculum fælix habebat *Bohemia*, meritoque hunc ei Crystallorum radium adscribit. Sed alioqui Crystallum *Bohemiæ* Natura dedit, ut Gemmarius Rudolphi peritissimus attestatur: *reperiuntur*, inquit, in *Bohemiæ montibus*, sæpe in agris, *Crystalli* (ut prope *Cratenbergam*, & *Tsalroniam*) tantâ elegantia, ut vix ab Orientalibus distinguas; omnes a Natura sunt sexangulares, cujus rei difficilis est ratio, &c.

*Anselmus de Boode L. 1. de Gemmis c. 12. & Cap. 16. l. 2. c. 73.*

## SCIENTIÆ RADIUS.

Adversus nimium curiosam Ingenia fertur auctor.

Nullum tam lethale vulnus, quàm à Scientia Orbis accepit. Arbor una non modò Corpus, sed etiam Animas infecit. *Hinc illa lacryme!* infantum, virorum, omnis sexûs, omnis ætatis. Nec tamen moniti cessamus vulnera quærere, ut ætas puerorum, quæ curiosa, in acie cultri & novaculæ libenter occupatur. Scientiis optimum medicamentum *Fidem* Christianam, opposuit Deus, quam scientiis omnibus fecit certiozem. Desinant igitur curiosi in Fidei rebus ineptire! Optimus jaculator, dum jaculatur in punctum, punctum non videt; optimi ictus argumentum est, non videre. Aliud itidem hominum reperitur genus, qui omnia sciunt. *Faciunt, ne intelligendo, ut nihil intelligant.* Nullum scientiæ impedimentum est majus, quàm scientia; zelotypæ sunt scientiæ, & faciunt chaos, quod mens una

*Terent.*



non evolvat. Te & statum respice; qui scientiam quæris, tua in scientijs quære. *Ut apes*, quæ tantum in floribus suis sedent, cæteros honorant, & aliquando ad florum aures admurmurant. At *Formica*, fateor, etsi laboriosæ sunt, per arborum ramos, huc atque illuc instabili vestigio vagantes, inutiliter fatigantur. Post mille sursum ac deorsum consuantos discursus, vix aliam muscæ domum pro præmio reportant. Forsitan ideo *speculo Mercurius fixus* additur, ut sciamus, optime species & imagines rerum reddi, cum erraticum de se ingenium certæ rei, suoque objecto affigitur; *scientia enim est finitorum*, & ordinem & comprehensionem amat; *ordo verò est anima disciplina*. *Asserculi pictorum* (quos manu sinistra tenere solent) omnes ex penicillis trahunt colores, imaginem nullam repræsentant, quia confusi sunt; & quid confusio aliud, quàm confusionem pariat? VEN. *Arnestus* statui suo imminens, sua sciebat; sapiebat ad sobrietatem; inde *Sapientia* dicitur. Sibi canebat & Musis, atque in occulto, velut tenerimus *mori vermiculus*, de prudentissima Virgine MARIA opus eviscerabat. Omnia munda mundis, omnia niveis animis in nivem, lucidis in lucem vertuntur. Crystillum ex nive nasci dicunt; candor non sufficit: frigida est omnis scientia, nisi pietate incalescat. Hinc ille, quamvis Lucifer Angelus, Crystillinos affectabat radios, *sedebo*, inquit, *in lateribus Aquilonis! Frigidus est ille locus*, respondet Bernardus. At VEN. *Arnestus* Crystillum suam vertebat ad Solem, ut non modò lumen de lumine, sed etiam calorem ex divino calore mutuaretur.

Aristot.

Scientiæ debet affectio conjungi.

## IV. HUMANÆ BEATITUDINIS RADIUS

EX GEMMIS, QUAS GRANATAS VOCANT.

VEN. ARN. I. ARCHIEPISCOP. ECCLESIE PRAGENSIS.

**U**Nam gemmam habet *Bohemia*, primæ inter suas dignitatis, quæ venustate, duritiâ, splendore, Orientem provocat, *Granata* vocatur, Carbunculi specie. Ita sentit princeps, Patrum ætate, *Gemmarius Boërius*, & subscribit doctissimus *Sennertus*. Prior ille sic loquitur: *Granati, qui in Bohemia inveniuntur, omnes*

Anselm. Boët.  
l. 1. de gemmis  
c. 17. & 18. &  
l. 2. c. 24. 25.  
& 26.  
Sennert. in E-  
ptome Nat.  
scient. l. 5. c. 6.



vitio ita carent, ut ostentum sit, si vel unus reperiatur, qui vel nebulam, vel fissuram habeat. Rotundi sunt omnes. Bilina & Teplia colliguntur; hi Orientalibus nobiliores sunt, tum quia vitio carent, verisq; carbonibus similes sunt, tum quod illorum color nullo igne auferri aut minui possit, quod nulli gemma colorata proprium est; ita ut hac ratione, quasi immortalis Granatus Bohemicus, auro obryzo comparandus sit. Novi, qui per multos menses in igne frustra detinuerat, &c. Sit igitur Granatus rotundissimus anulo Archiepiscopali insertus, in eo Granato sculpatur *Arnesti sponsa Pragensis Ecclesia*, seu *S. Viti* Metropolitanum Templum, adjacente Infula, Pedito, Pallio, aliisque *Arnesti* Insignibus. Hunc anulum in Ara lucente inter ignes deponere illatum, nullo enim igne violatur. Adjice Inscriptionem: *Quis nos separabit?*

Granata  
gemma Ar-  
nesti Archi-  
episcopi  
symbolum.

## RADIUS ARCHIEPISCOPALIS DIGNITATIS.

Amor Arne-  
sti in Eccle-  
siam Prag.  
sponsam suam.

Negat istud de  
Scavola Dion.  
Halicarnas.  
in Antiquit.  
Rom.

Reg. hierogl.

**N**escit Granati Natura igne mutari, & *Arnesti* in Ecclesiam suam Amor, nullam adversitate mutatus est. In igne, aurum & gemmae, homines in camino tribulationis probantur. Adde quod *Granatus* semper sine vitio; semper innubis, semper vigil, rotundus & masculus; quae omnia caelesti *Arnesti* amori conveniunt. *Scavola*, si *Livio* credimus, in aram ardentem manum injecit, & suum ipse punivit errorem; felicior *Arnestus*, quia amorem igne firmavit. Ignis, quod puniret, non habuit; invenit, quod exercebat. Multas & graves arumnas passus *Arnestus*, ut sponsam suam immaculatam offerret; dum ab haereticis poene occisus est. Sed audeo etiam cum *Pserio* flammam *Dignitatem* appellare. Non eget flammis purgantibus, qui honoribus cruciatur. In hoc Ecclesiae amore, *Ernestum II.* successorem accepit, cujus Gentilitius ille globus, *Granati* naturam videtur induisse; vicit enim Elementa naturae omnia, divinae Charitatis impulsu in altum libratus; ob quam *Gloriam Victoria* suas illi pennas adjecit.



## V. HUMANÆ BEATITUDINIS RADIUS

## SAPPHIRINVS.

VEN. ARN. BOHEMIÆ PRINCEPS, ET PRIMAS.

**P**ingatur *Sapphirus* Veterum, quem lapidem *Lazuli* esse probat *Alcasar* (opaca gemma cæruleo colore, aureis punctulis aut stellulis exornata, ex qua color ille cæruleus conficitur, quem *ultra marinum* vocant, auro pretiosior) *Sapphiro* igitur, qui jam antè naturâ suâ *stellas* habet, lucidissimum *Solem* inculpe, eritque illa Imago, quam *Iosepho* Principi futuro obtulit in somnis Divinitas; adscribe Imagini Lemma ad ipsum *Solem*: *Nil apud hunc vicina valent*. Meritò *Sol*, *Iustitia Princeps* appellatur; apud quem nulla personarum acceptio. Omnibus est idem. Vicinæ sunt stellæ, sed luce minores; vicina sunt loco & dignitate, non jure & gratiâ. Etiam servat sua dona remotis; imò, cum vicinas & proximas *stellas* extinguat, remotiores majoribus radijs illustrat. Habent, sinè dubio, stellæ vicina majorem à *Sole* calorem, gratiam, influentiam, sed ea in vulgus nota non sunt, nè gratia Principis fiat invidiosa. *Sapphirus* porrò, quam picturæ nostræ tabulam fecimus, apud Veteres Sapientes *Principatus Hieroglyphicum* fuit, ac præcipuè *Principem Sacerdotum* significat, qui *Sapphirum* collo appensum gestabat, in qua gemma *Veritatis* sculpebant Imaginem, atque ipsum hoc monile *Veritas* dicebatur. Eandem hodièque dignitatem *Sapphirus* obtinet, nam cuiilibet in Cardinalitiam dignitatem assumpto, *Pontifex summus* anulum cum *Sapphiro* mittit, atque ex eo usitatus ille *Episcopis* anulus conficitur. Sed quidquid de gemma sit, in ea figuræ nostræ *veritas* non vertitur, sed in *Sole*, quem in hoc cæruleo *Sapphiri* cælo adorant stellæ, ad cujus aspectum omnes veneratione connivent, unus ipse, velut iustissimus *Judex*, nulli gratiæ obnoxius, *par pluribus unus*, nulli connivet, eodémque semper vultu, quidquid geratur in Orbe, tuetur.

Hæc Imago *Arnesti* iustissimi Principis; de cujus *Iustitia* supervacuum est narrata repetere: constat, nullum in Promotionibus

Plin. lib. 37.

C. 9.

Anselm. Boët.

l. 2. de ge. m. m. i.

C. 1. 9. &amp; 120

Lud. Alcas.

in Apoc. C. 21.

v. 20. not. 9.

Sapphirus

Principatus

symbolum.

Pier. lib. 41.

Hieroglyph.

Diod. Sic. lib. 1.

C. 3.

Eltam. b. 54.

variar.

Abulens. in

Exodi 28.

Alcasar in

Apoc. sec. 21.



tionibus & dignitatum luce ad consanguinitatem & vicinitatem sanguinis habuisse respectum. O virtus radio Sapphirino digna! fuit in sermone verax ( ait vitæ vetustus Scriptor ) & magni consilij vir, in Iudicio justus, apud quem non erat acceptio personarum, & si Iustitia lesa foret, nec parcebat pauperi, nec potenti, & apiores, & doctiores, & meliores proprijs Consanguineis præferebat.

## RADIUS PRINCIPUM.

Iustitia Principis scrupulosa esse debet & oculata; non adulterina, sed fidelis.

**J**ustitia propria Principum virtus Principem facit. Hæc unâ si careat Princeps, bonus non est. Hanc si habeat, nomen boni Principis meretur. Compendium omnium, ac præcipuè Principalium virtutum, Iustitia est. Sed non satis est Iustitiam velle, scire eam & nôsse oportet. Qui gemmas explorant, fundum inspiciunt: veritas enim in fundo latet, & sæpe sese falsitas ( ut folijs spuria gemma ) defendit. Ministri colorare noverunt, & tingere, plûsque est sæpe falsitatis in folio, quàm veritatis in gemma. Malus familiæ Pater est, qui famulorum acta non considerat; malus hospes, qui agri sui modum ignorat. In aula Principis, velut in speculo, Regnum videtur. Ab illa inchoanda Iustitia est. Gloria Solis maxima hæc est, quòd, per seipsum, vicina & remota tueatur. Etiam sibi Sol qualdam Leges in cœlo statuit & fines, quos nunquam egreditur. Pulchrum est, alligatum se Legibus Principem profiteri. An non magis alligatur fœderibus, & Coronæ juramentis? Satis altus est Sol, nec tamen alto illo dominio utitur, quod falsi Politici Principibus immurmurant, quo uno omnis in Principe perit Iustitia; cùm injustitiâ peccari apud illos non possit. Semper hisce pseudopoliticis cadit Respublica, ut Provincias possint spoliare.

Maestriavel.

Referebant Navibus altis

Occulta spolia, & plures de Pace Triumphos.

Qui omnia, inquiunt, potest, auferre partes quælibet potest. Ubi igitur pauperis Naboth vineam collocabis? Exitium Principi suadet, qui suadet injuriam. Non frustra Iustitia in manu libra videtur. Scrupulis, ad sanitatem Regnorum, consilia, ut medica-  
menta,



menta, debent examinari. Sive addideris, sive detraxeris, sanitati nocuisti. Indivisibile est Justitiæ temperamentum ad pondus, & omne gemmarum vincit examen, alioquin loco sanitatis venenum propinatur.

VEN, Præsul *Arneſtus*, ut *Sapphirus* *Carolo* Cæsari fuit, in quo veritatem aspiceret; ita alios judicabat, ut se ipsum in Tribunali Divinæ Justitiæ simul stare & judicari de judicio existimaret. Vide, aut reminiscere, quæ de eo pridem narravimus; meritoque hunc ei *Sapphiri radium* addimus, ac eò libentiùs, quòd Præsuli suo & Principi *Bohemia Sapphirum* possit offerre; quippe, ut ait *Boëtius*, *satis præstantes Sapphiros, & Lazulos Bohemia profert.*

*Ansel. l. 2. de gemmis ad Rudolphum Cæsarem C. 42. & C. 130.*

VI. HUMANÆ BEATITUDINIS RADIUS

EX GEMMA ACHATE.

VEN. ARN. SUMMUS CAROLI IV. IMPERATORIS MINISTER, GRATIA ET AUTHORITATE IN AULIS PRINCIPVM, REGVM AC PONTIFICVM SUMMORVM FLORENTISSIMVS.

**A**chates gemma est, cui Naturæ error pretium facit, quippe *Avenula*, nativo ductu, species fluminum, nemorum, arborum, montium, valliùmque, aliâque plura, repræsentant. Notus est Regis *Pyrrhi Achates*, in quo *Apollo* cum *Cithara* in consilio *Musarum* sedebat, sed earum quælibet cum proprijs Insignibus; denique *Parnassus* non in rupe, sed in gemma visebatur. *Mercatus* solem in *Achate* habuit tam graphicè expressum, ut nulla ars pulchriùs posset imitari. Ego, verba sunt *Anselmi Boëtij*, *Medici & Gemmari*, apud *Rudolphum præstantis*, *Achatem habeo, qui non major est ungue mediæ digiti, qui circulus tam exactè fusco colore notatum refert, ut circino perfectior exarari non possit.* In circuli medio *Effigies Episcopi cum mitra exactissimè apparet, &c.* In hac igitur hilarissima gemma *Achate*, sit picta regio suis oppidis, montibus, fluminibusque distincta, qualis esse in *Achate* sæpe solet. Super hanc Regionem circinus statuatur, cujus pes prior cum corona regia centrum Regionis tangit, ak-

*Achates boëtij Ministri symbolum. Plin. lib. 37. C. 1. & 10.*

*Marsil. Catalogus variat. observ. lib. 3. C. 17.*

*Boëtius l. 2. de gemmis C. 96.*

H h h

tes



ter verò pes cum Archiepiscopali Infula circa totam Regionem circumferentiæ lineam describit. Notum est, Bohemiæ rotundam, & circulo similem, esse figuram. Inscriptionem imagini adijce: *hic jubeat, alter obit curis*. Achatem gemmam, Summi Ministri symbolum faciunt Eruditi. Vide, quæ hac super re notavit de la Cerda in Æneid. Apud Maronem enim *Aneas uno graditur comitatus Achate*. Nos quoque olim *Achatem* in gemmam conversum, jam in digito Principis sedentem, in quo Princeps spectare possit omnia, juvenili carmine cecinimus. Talem Lib. 6. Liv. *Achatem* habebat *Carolus* in *Arnesto*; summus erat Regni Minister, quem Græci, Livio teste, dixerunt, *Apolectum*; cujus ministerium & curas, quibus *Bohemiã* descripsit, in superioribus libris invenies. *Rex movet à Centro*, ad eum omnes referuntur lineæ; Ministri Regna curis amplectuntur. Sed & *Achates* patria gemma est, ex quo facilius Radius *Arnesto* parabitur. In *Bohemia*, ait citatus Boëtius, *non procul Misã, Leuchates* reperitur, *punctulis nigris vel purpurei coloris conspersus, qui elegantissimus est, &c.*

## SUMMI MINISTERII RADIUS.

Ad aulã ingeniosissimi, prudentissimi, experientissimi, doctissimi, &c. advocandi, nõ ditissimi.

Qui regnare cupit, Consiliarios quærat. Non enim verum est illud, quod jactabatur: *Vnus non sufficit Orbis*. Verius dicitur: *Vnus non sufficit Orbi*. Et quomodo sufficisset, qui nec sibi regendo, nec uni *Babyloni* suffecit? Quantas Machinas supra hominum capita Naturæ creator suspendit! quot influentijs opus est, ut vivat Orbis! quot oculis unus hic custoditur! Sol unus satis non est, innumerabilem Aulam siderum trahit, Sed hic labor, hoc opus, ut ad Aulas sapientissimi, non ditissimi evocentur. Difficile est Vates invenire, atqui omnis Consiliarius Vaticinium profitetur, ut *Ianus*, quem à tergo nulla pinsit *Ciconia*. Quin adeò tres vultus habet *Prudentia*: *Tempus* aspiciit *præteritum*, quod exempla, & causas suppeditat; *præsens* rei totius verissimum statum exhibet; at *tempus futurum* utilitates Regnorum, & ante omnia Principis famam, etiam diu post futuram, respectat. An enim malefacta posteri tacebunt? ciconias faci-

Iuvon.



facient, irridebunt, & incorruptis Judicijs favient. Vapulabunt inutilia & noxia Consilia, & Historicorum calamis confodientur. Narrabunt isti vulnera Reipublicæ, nec contenti vulnere, nominabunt percussores: *His Ministris Patria perijt, his floruit; hujus consilys extincta gloria Nobilitatis est; hujus conatibus, dum bityrum emungitur, sanguis expressus est.* Facile ista cavet, qui non se in consilio, sed Principem quærit; Principalem animum, qui consulit, debet habere. A puncto medio circumferentia regitur, non à circumferentijs centrum; alioquin non Regis ille circulus erit, sed privatus paucorum. Duo tamen maximis Consilij Duo Conf-  
liorum etiã  
optimorum  
naufragia, obstant, dum *aut produntur, aut differuntur.* Etiam Feræ surgentes perturbant cubilia, nè capiantur; quanto magis humana prudentia. Una *Penelope*, brevi noctis morâ Telam retexet, quam multis diebus contexerat. A quo justius silentium exigas, quàm ab illis, quibus, ut taceant, solvitur? quibus silere honor est? Consilium, *Reguli* habet naturam; qui si prius videtur, necatur; si prior videt, occidit. Hinc *Minotaurus* inter Romana signa, ex Labyrintho translatus. Nam militaria Consilia præcipuè, debent ab hostibus ignorari. Prima consilij *Gloria silentium* est; altera *celeritas*. Sæpe consilium pessimum celeritas obtegit; tarditas, etiam ex bono malum fecit. Optimum est, quod in arena, & sub manu nascitur. Quantum hosti virium accedit, cum scit te prælium non audere? *At dum Romæ consultatur, Prævib.* *foris Saguntus amittitur.* Posthuma consilia, medicinis post mortem comparantur, quæ nihil profunt, nisi fortè Medico, cui solvitur. VEN. *Archiepiscopus & Princeps Arnestus*, hæc omnia, ut pridem probavi, secutus, talem ac tantum Principem *Carolus IV.* consilij reddidit, ut invidia magis ejus virtus, quàm imitationi sit subjecta; ideoque, ut *Achates Caroli*, radio ex *Achate* fulgebit.





VII. HUMANÆ BEATITUDINIS RADIUS  
EX GEMMA FULMINEA, QUAM CERAVNIAM  
APPELLANT.

VEN. ARN. S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATVS.

Plin. lib. 37.  
C. 9.

Ceraunia  
gemma Le-  
gationis A-  
postolicæ  
symbolum.

**G**emma candida est *Ceraunia*, quæ fulgorem siderum rapit; imò fulmine nata est. Nam cum saxa ferit fulmen, abstantque rupium particulae, coelesti hoc igne perustæ maturantur, pretiumque & lucem acquirunt ab ictu, ut videatur in ijs animam fulmen accendere. Exsculpe igitur in hac *Gemma Fulmen*, atque inscribe: *Tardè ac utiliter tantum*. Fulminis hæc natura est, non concipi, nisi multis prius exhalationibus venenatis ascendentibus. Quàm postea tardè nube cingitur; quàm tardè accenditur! quantum prius minatur! ad sunt plerumque pluviam, & quasi Naturæ ipsius deprecantis fletus & lacrymæ, quibus sæpe placatum *Fulmen* extinguitur. Si tamen hoc fulmen feriat, utilitate fertur, & gemmas parit. Tale sapiens, non *brutum*, *Fulmen* VEN. *Arnestus* Sedis Apostolicæ Legatus, cujus etiam Clementiam & Fortitudinem oleum, quod è sepulchri marmore fluit, ostendit. Inscribe fulmini potius: *Tardè, sed bene*. Excommunicavit ille & ferijt quondam *Ioannem Regem Bohemia*, sed tam utiliter, ut ex lapide durissimo gemmam lucentissimam redderet; adeoque *Rex* Sedi Apostolicæ supplicaret. Verum illud est, quod tradunt Philosophi, in venenatis corporibus serpentium, si fulmine tangantur, venenum omne consumi.

Seneca l. 2. 99.  
Nat. 37. Forer.  
disp. de ignis,  
Thesi. 14.

RADIVS LEGATIONIS APOSTOLICÆ, ET DE  
CLEMENTIA AC FORTITUDINE VEN. ARN.

Clementia  
naturalis  
Principatus  
signum; se-  
veritas con-  
suetudo violentiæ.

**A**ntoninus Pius Imperator in nummis suis *Fulmen* sculpsit in *toro*, quasi dormiret. Quid hæc imagine venustius? Dormiebat etiam apud *Arnestum*, sævamque illam Potestatem sopiebat Clementia. Stabat in conspectu erroribus humanis paratus & obvius, nihilque aliud *Carolo* suadebat, quàm ut eo regnante omnibus bene esset. Hic verus est omnis Principatus finis, Juvenalis canit;

Pro-



- - - Provincia cū te

Rectorem accipiet, miserere inopum Sociorum,  
Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis.

Iustitia Principes constituit, Clementia confirmat. Maxima Principum felicitas, posse servare. Nocere multi possunt, prodesse pauci. Mordere, invidere, beluarum est; servare, hominum. Hoc opus est Magni Constantini, hoc omnium Augustorum, hoc opus Christi, hoc ipsius DEI. Plura Clementiā quā severitate Principes perficiunt: oleum etiam vulnera mordet. In Leonis vestigio nunquam ungues videbis; nam cū graditur, ungues, in vagina recondit. Dormiat igitur Fulmen, & utiliter tantūm saeviat. Vbi Clementia non proficit, tum Cœli tumultus permittitur, tum minæ, tum corusca lux, tum incertus pavor mittendus. Datur significatio, ut fugiant, à facie arcus; cū unum ferit, pluribus parcit; solida quærit Fulmen & conterit, cineribus semper ignoscit, omnes corrigit. Renovari post tempestatem Natura rerum videtur; cœlum serenius, aër purgator, aquæ feliciores, atque, ut Græci vocant, *astrape*, terra fecundiùs respirat. Rara nihilominus fulmina, & cū tot influentias, tot imbres, quibus *Iupiter in latam tellurem descendit*, Orbis noster sentiat, rariùs verberatur. Beneficia sæpe conferenda, offensiones & invidiosæ pœnæ citò & semel expediendæ sunt. Qualis VEN. Arnestus in Clementia fuerit, jam antè diximus. Ea si legantur, meritò hunc ei *Ceraunia ac fulminis radium* deberi quisq; fatebitur.

## VIII. HVMANÆ BEATITVDINIS RADIVS

EX GEMMA CARBUNCULO.

VEN. ARN. S. ROM. ECCLESIE CARDINALIS.

**C**arbunculus gemma est igniti carbonis specie. Pinge igitur Candelabrum supra modium (ut ad Evangelicam parabolam alludatur) & in candelabro, Facis loco, gemmam Carbunculum, radios quaquaversum mittentem constitue. Fortè

Sennertus in  
Epitoma Natur.  
Scientia lib. 3o  
C. 4o

H h h 3

aptius



Carbunculus Cardinalitiz dignitatis symbolum.

aptius in Cardinalitio Galero Carbunculus statueretur; adde Epigraphen: *Luceat lux vestra.* Aut etiam: *nec lucens consumitur.*

Nobilem hanc dotem *Carbunculo* dedit Natura, ut, licet velut ignis luceat, non tamen ut ignis mucescat. *Lux mea sorde caret*, dicere potest. Adde, quod innoxius est, & lucis beneficium sine damno dispensat; imò & sine lucro suo; nihil enim alienum depascitur; suâ virtute contentus, clamâtque: *caret mea flamma periclo.* Sed & illud mirabile, quod de Carbunculo tradit Plinius: *tunc lucem magis deregit, cum sursum attollitur*; itaque cum altior, clarior.

Plin. l. 37, C. 1.

Hunc *Carbunculi Radium*, quem in Romana Purpura Summus Pontifex dedit, quis ausit *Arnesto* negare? Quanquam, breve illud honoris tempus fuit. Nam cum Purpura donabatur, mortuus, prius propè gloriam cœlestem, & divinum Solem aspexit, quàm hâc Auroræ Purpurâ radiaret *Arnestus*, vixque in titulum sepulchri Purpura suffecit.

#### RADIVS EMINENTISSIMÆ PURPURÆ.

Pericula dignitatum.

**M**ulti felicitate, velut onere, franguntur, qui adversis frangi non potuerunt. Maximum onus honor est, & aurum plumbo gravius. Infelicitas bene tolerata fit felicitas; dignitas & felicitas (nisi felicitate continetur) felicitas non est. Miser ut felix fiat, eget unâ patientiâ. At felix in dignitatibus esse non potest, nisi præsidio plurimarum virtutum. Aurum probant homines, sed ijdem sæpius ab auro & honore probantur. In dignitate verò serum est bonum fieri. Quis veterum Cæsarum in Imperio melior factus? vix unus *Vespasianus* nominabitur; quia nescit imperare, qui nescit subesse. Arundo in piscinis assurgens à radice, caret nodis; in alto, dum excrevit, nodosa est; sic quibusdâ contingit, cum ascendere, vix sese ferunt, & ventis agitata crebrò impingunt. Omnis locus altus facit vertiginem; cœlum ipsum, securissimum licet, rotatur, & nubibus obducitur; & quamvis igne lædi non possit, inhonoratur nabe. Aurum quoque, dum probatur, etsi non pereat, tamen ex inanibus pa-



paleis, & adulatione liquefcit (flamma enim honor est) ergo aureos etiam mores mutant honores. Felicior Carbunculi Natura non læditur flammis; in similem naturam ignis non agit; nati ad Imperium non mutantur. Flamma Carbunculi frigida est: sine nube semper cœlo invidiosè lucet, nec diem distinguit nec noctem. Ob hanc gloriam Carbo unicus thesaurus esse potest, vetusque illud refutat proverbium, quo thesauri inanes, fieri carbonones dicuntur. Hæc virtute ad miraculum propè VEN. Arnestus claruit, in quo nihil mutaverunt honores; jam in Naturam lucem converterat, & velut Carbunculus, suâ se virtute involvens, durabat. Hoc unum cœlitus sibi repeti audiebat: *Luceat lux vestra!* doctrinæ sanitate, & exempli bonitate. Erat *lucens cardo & carbo* Romanæ Ecclesiæ Purpuratus, qui ad frigus lapidis, addebat ardorem Charitatis. *Lampades ejus, lampades ignis, atq; flammæ.* Hic igitur Radius Præsuli Nostro debetur, eumq; donat *Bohemia*; cujus etiam in sinu hoc pretiosi lapidis genus, etsi perrarò, reperitur.

*Tier. lib. 46.  
hieroglyph.*

*Vestigium De-  
i hemis Dia  
C. 100.*

Octo Cœlestis Vitæ Beatitudines, quibus, velut totidem Radijs, VEN. Præsul ARNESTUS in Ecclesia DEI reluxit.

## CAPUT XXIV. & ULT.

**S**pectasti, Lector, priore Capite *Arnestum*, octo humanæ Felicitatis ac Beatitudinis radijs coruscum, velut Solem. Nunc totidem, sed cœlestibus radijs fulgentem aspicias. Virtutum *Gemma*, rursus radios faciet; à quibus si te quoq; irradiari permiseris, proh! quàm serenus eris.

I. COE-



I. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS  
EX AMETHYSTO.  
ARNESTUS PAUPER SPIRITU.

*Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.*  
Matth. 5.

*Maldonatus  
in C. 5. Matth.  
Pier. lib. 41.  
Hieroglyph.  
Sennert. l. 68.  
Alcasar. in  
Apoc. C. 21.  
v. 20. not. 33.  
& 34.  
Anselm. Boët.  
l. 1. de Gemmis  
C. 13. & l. 2.  
C. 37.*

Amethystus  
symbolum  
humilitatis.

**P**Auperes spiritu major Scriptorum pars hoc loco *Humiles* intelligit, aut eos qui licet gloriâ, divitiisque circumfluant, super alios non efferuntur.

Sit igitur *Amethystus* gemma, quæ colore *Violam* imitatur, purpurâ aliquantum dilutam, cujus pulchritudinem mirè commendat *Alcasar*. Illud in Bohemico Amethysto mirabile, (quod observat curiosissimus Cæsaris Rudolphi Gemmarius) esse figurâ sexangularem, & in pyramidem sexangularem definere, quasi cælum ostenderet; estque singulari pulchritudine, licet duritie cedat Orientali; celebriores, ait, *Amethysti sunt in India, Cypro, &c. in Misnia ac Bohemia pulchriores, ac perfectè violacèi*.

In hac igitur violacea gemma, qui ipse color *Humilitatis* est, si adumbrare *VEN. Arnesti* humilitatem cupis, & ostendere picturâ vel sculpturâ, quomodo honores fugiendo, cæli Regnum sit secutus, pinge *Solem* altissimum, atque ab eo fugientem *Lunam*, & ad plenilunium, ut solet, properantem. Nam quò Luna fugit magis, eò magis impletur; & dum à Sole remotissima est, plenissima est; & tum veraciter *divisum habet cum Sole imperium*: ut enim ille diei, sic ista præest nocti, & cæli regnum obtinet fugiendo. Inscribe fugientis *Lune* imagini: *Regnat, quando fugit. VEN. Arnestus* suo istud probavit exemplo, qui cum honores omnes inhonoraret, & lucem dignitatum fugeret, atque etiam in claustrum sese abdere toties optaret, ac peteret, nihil consecutus est aliud fugiendo, quàm ut luceret magis, & dignitatibus ampliùs ornaretur, ac denique regnum cælorum obtineret. *Beati igitur humiles & pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum!*



## RADIUS HUMILITATIS.

**A**D honores certissimum iter parat *Humilitas*. Ambitiosi hoc etiam sentunt, qui se in aulis humiliant, ut exaltentur. O histriones! Virtus non est in veste, sed in corde: ideoque larvam hanc detrahit tempus, & *DEVS* qui *superbis resistit*. Honos crescit ex humilitate, ut arbor è radice. Abyssus humilitatis abyssum invocat gloriæ; meritoque illud etiam *altum* vocamus, quod est *profundum*. Non minor est dignitas in profundum, quam in altum crescere; nisi quod illud securius, quod cadere non potest. Non minùs gloriosum est humilitate centrum terræ attingere, quam gloriâ cœli centrum calcare. Hinc *DEI Filius primus & novissimus* appellatur; primus, quia novissimus, propter quod æternum dedit illi nomen *DEVS*. In novissimo loco gloria & principatus invenitur. Quid gemmis & metallo pretiosius tellus habet? quid ipsdem humilius? Hisce ignobilibus antè gemmis, non dedignatur Sol nobiles animas infundere, & cœlestis suæ lucis particulam impertiri. Solis naturam imitatur divinitas: *alta eminus cognoscit, humilibus dat gratiam*. Summa *DEI* gloria est creare, & ea quæ non sunt, tanquam essent, vocare. Qui à *DEO* cupit exaltari, parvus sit; aut nullus potiùs in oculis suis, & nihilo propinquus. Violaceum hunc Radium *VEN. Arnesto* circumponit *Humilitas*, eumque gloriæ suæ insignibus exornat in cœlo: quem profus humilitate præcelluisse in ejus vita probavimus.

*Humilitas certissimum ad gloriam iter.*

## II. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

EX BERYLLO.

## VEN. ARN. PRÆSUL MITISSIMUS.

*Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5.*

**B**eryllus gemma est, quæ *Aqua marina*, seu puri & quieti maris subviridem colorem refert, ut Scriptores affirmant. Hoc etiam gemmæ decus habet *Bohemia*. Exsculpe igitur in *Beryllo Fluvium subviridem* (qui *Beryllo* natus est color) fluvium,

*Senneri. l. 1. tit. 1.*  
*Alcasar. l. 1. tit. 1.*  
*Boët. lib. 2. de gemmis c. 70.*  
*Beryllus mansuetudinis symbolus.*



In hâc viridati-  
nis.

Vide Maldon.  
sc. cit.

Mansuetudo  
gloriosa.

in hâc viridati-  
nis.

inquam, auriferum, & aureis arenis abundantem, quales ali-  
quot in Bohemia fluvij sunt, ac præcipuè *viridis Muldava*. Su-  
per hæc aquas efforma *vellus Agnelli*, aut potius *Instrumentum*  
*illud vellere rectum*, quo ij, qui aurum inter fluminum are-  
nas quærunt, utuntur; inscribere Imagini: *donat. se mitibus aurum*.  
Memorable enim est, quòd demisso inter arenas agni *vellere* fa-  
cillimè ad illud sese aurum associet, ut affirmant, qui in hoc la-  
bore, aurique glareis eluendis occupantur. Confirmat id vetu-  
stissimus Scriptor Appianus: *Apud Colchos, inquit, rivus sunt,*  
*ferentes ramenta auri minutissima, & ob id parùm conspicua; acco-*  
*la verò vellera villosa in rivos demergunt, atq; ita aureas arenulas*  
*his inhærentes colligunt; & fortasse tale fuit illud inclytum Æta-*  
*tergus aureum*. Hæc ille. Aprissima, ut videtur, in rem nostram  
Imago. Quid enim *agnello mitius?* & tamen ejus *vellus aurum*,  
*trahit*. Neque mysterio caret, quòd ad Gentem Austriacam al-  
terius Orbis aurum argentumque mittit Natura; *vellus aureum*  
habent: & cui nota non est (quæ jam in proverbium abiit) *Cle-*  
*mentia Principum Austriacorum? Mites igitur, atque inter eos*  
*seu mitissimus Agnus Arnestus* (verba sunt vetusti Scriptoris)  
terram & opes terrarum possidebunt: nam aurum virtute con-  
tinet omnia, sed hoc ipsum *Vellere & Clementiâ* paratur.

## RADIUS MANSVETUDINIS ET CLEMENTIÆ.

**N**ihil humanitate ceteri homines, nihil clementiâ & man-  
suetudine Principes, pulchrius habent. Hominem exuisse  
videtur, qui exuit humanitatem; & Principem se obliviscitur,  
qui Clementiæ non meminit. Invidenda Regum felicitas *posse*  
*parcere*. Solus ille parcere potest, qui major est; qui pepercit,  
jam debellavit. Firmissimum Regnorum fundamentum est, Cle-  
mentia: etenim fortuna Principis dum parcit, à nullo periculo  
abest longius, quàm ab humilitate. *Securus est Majestatis, qui*  
*parcit*. Cui violentè sedet Imperium, non potest sæpe parcere,  
licet velit: nam scit, etsi parcat, se amorem non acquisiturum,  
quem factis crudelibus jam pridem ex civium corde proseripit.

Felix



Felix & inexpugnabile munimentum est, munimento non egeret. Longè valentior est ad obtinendum & retinendum, quod velis, Amor, quàm Timor. Timor abit, si recedas; manet Amor, cujus excubijs Regna maxima defenduntur. Orbis universus non continetur fulminibus, sed amoribus; regitur magnetismis; cùm Coelum benignè aspicit, & mite est, subdita tellus, sylvis comantibus, florum oculis & gemmis, totòque Naturæ suæ vultu blandissimè refalutat. Nubeculae quædam, ut *vellera lana lucentes* apud Maronem, cùm vesperi spectantur in cælo, serenitatem crastinam promittunt; & Clementia & Mansuetudo certissimum prognosticon est aureæ in Dignitate felicitatis & Pacis. *Mitè igitur possident terram*, eisque inclamatur ab omnibus: *Impera nobis!* Talis in omni vita VEN. *Arnestus*, ut pridem probatum est, qui etiam ijs, à quibus quærebatur ad mortem, pepercit. Hinc *oleum ex mortui sepulchro stillavit*, quod tempestates extinguit. *Deus ipse*, ut promisso faceret satis, optimum Præsulem, & mitissimum Principem, bonis omnia munivit & cinxit, ac præcipuè auro ad miraculum ditavit, ut thesauros invenisse crederetur; at thesaurus ille *Vellus*, & mansuetudo fuit, quo Vellere, velut harno, aurum capiebat, quod spontè sequebatur.

*Pist. l. 2. lib. 2.  
Nat. C. 103.*

## III. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

HYACINTHINVS.

VEN. ARNESTVS LVGET.

*Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Matth. 5.*

**M**agna inter curiosos, eruditòsque Scriptores controversia est: an *Hyacinthus* veterum idem sit cum eo, quem eo nomine hodie appellamus; plerisque negantibus. Omnes in conveniunt, à Flore hyacintho nomen accepisse, & quandam ad eum florem similitudinem habere. Flos autem *Hyacinthus* doloris & lacrymarum flos est, ut constat omnibus: hinc ille inscriptus folijs gemitus *A I. funestaq; littera ductu est.* Porro *Hyacinthos gemmas ad Iseram in Bohemia reperiri*, testatur *Boëtius*. Sed in rem præsentem. In *Hyacintho* lapide & gemma desideran-

*Hyacinthus  
symb. lugentium.*

*Longa de hae  
re disputatio a  
pud Alcasar  
in Apoc. l. c. 1.*

*Ita Plin. l. 21.  
C. 12.*

*Anselm. Boët.  
l. 2. de gemm.  
C. 31.*



rium & ludentium, inculpe fruticem *Balsami*, cultro osseo im-  
pacto lacrymantem, simul inscribere: *Quod lacryma est, pretium est.*

*Pancivoll. l. 1.  
de Rebus de-  
perditis ex Pli-  
nio. &c.  
Ibid. Henricus  
Salmuth.*

*Vitruv. lib. de  
Arab. c. 13.*

*Artemidor. l.  
de somnijs.*

Observant Eruditi: omnes ferè pretiosissimos odores, lacry-  
mas esse, pro more lacrymarum nasci, & cogi in lacrymam. Sic sta-  
cten myrrhae lacrymam, sic opobalsamum, sic bdellium, thus, atq;  
(ut quidam existimant) succinum, manna, faccarum, mel item  
aut floris aut roris lacrymam esse. Imò & metalla sic concipi,  
sic gemmas, sic uniones creari, & durari. Etiam Cervorum la-  
crymis magnam officinae tribuunt auctoritatem. De Conchylijs  
Vitruvius: *cum sunt lecta, ferramentis scinduntur, è quibus plaga  
lacryma profuens, excussa in mortarijs, terendo comparatur.* Nihil  
pretiosius lacrymis parit Natura; & qui lacrymas, vel somnians  
vel vigilans vidit, consolationem exspectat.

#### RADIVS LACRYMARVM.

*Lacrymae o-  
rancium pre-  
tiosissimae.*

**L**acrymas irradiari, & radiatas esse, vel pueri sciunt, qui cum  
flentes oculos Soli obvertunt, etià in suis ipsi lacrymis *iri-*  
*dem* vident. Lacrymae arborum pretiosae, sed pretiosiores sunt  
hominum; nam si Spartanam generositate concoquantur, & du-  
rentur, longè Caeli pretium vincunt. Pretiosissimae sunt, quas  
pietas & desiderium caeli parit, quales fundebat *Arnestus*. Ma-  
gna enim semper naturae vis est in conceptu, & cum caelum la-  
crymando desideratur, caelo similis lacryma concipitur. Nec il-  
lae lacrymae minus habendae sunt nobiles, quas sui victrix expri-  
mit Patientia. Qui lacrymas hominis, & unde nascantur, ex-  
plicat, *Alembici* apud Pharmacopoeos utuntur exemplo; omnes  
enim rerum essentiae, ut ita loquar, extrahuntur lacrymando,  
flammarum vi, in tribulationis camino; quod subtilius est, ele-  
vatur in caput, tum refrigeratum guttescit, guttulae auctae & col-  
lectae foras lacrymantur & fluunt. Hinc pretiosum istud naturae  
compendium. Plus una gutta, sic elevata & vexata flammis, vir-  
tutis acquirit, quam mille aliae simplices contineant. Id unum  
haec duo differunt, quod *lacrymae natura* deorsum cadunt, *lacry-*  
*mae gratia* feruntur in caelum, ibique in thesauris DEI servantur:  
*posuisti*



posuisti lacrymas meas in conspectu tuo; alij legunt, ut ante dixeram, in thesauris. Lacrymis igitur nostris inscribi meritò potest: *Durate!* secundis enim rebus in cœlo servantur, quæ lacrymatione gignuntur. *Mulier cum parit*, ait ore divino Christus, *tristitiam habes*; at succedit consolatio, & quod fletur, gemma est. Patientia colligit rosas, flet gemmas. Ajunt multorum liberum Matres (quod etiam *magnus Aristoteles* notat) pueros, quorum flebilior fuit infantia, & qui plurimum infantes fleverunt, in juventute fieri pulchriores. Exemplum hoc in vitam humanam valet, quæ cum in terris flet, velut omnibus peregrinis humoribus purgata, clarificatis oculis formosior cœlum intrat. *Euntes*, inquit, *ibant, & flebant* (dum degerent in orbe scilicet) *at venient cum exultatione in Superos.*

His igitur ad perferendos omnes corporis animique dolores animemur. Dolores fortiter tolerati transeunt in voluptatem; atque ut voluptas nimia cruciatum habet, sic dolor, quem viceris, voluptatem. Nota est fabula apud Eruditos, de *Dolore & Voluptate unâ casenâ à Iove constrictis*. Urtica, si fortiter presseris, non urit; si delicate tractaris, mordebit; eadem est adversorum natura.

## IV. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

OPALO GEMMÆ PVLCHERRIMÆ SIMILIS.

## VEN. ARN. ESURIT ET SITIT JUSTITIAM.

*Beati qui esuriunt, & sitiunt Iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Matth. 5.

**O**palus gemma est colore quidem præcipuo candida, sed ita permixta, ut in ea vario modo & *Carbunculi* tenuior ignis, & *Amethysti* fulgens purpura, & *Smaragdi* virens mare, incredibili pariter mixturâ, transluceat. *Hæc atate*, ait *Rudolfi Casaris Gemmarius*, post *Adamantem*, *Rubinum*, ac *Vnionem*, *quartum locum obrinet Sapphirus*, ego tamen huic postremo Opalum legitimum præferrem; est enim in eo *caruleus, viridis, flavus & ruber*, interdum *niger & lacteus color*. In Opalo igitur, seu Naturæ, seu

*Sennert. 1. vob.*  
*Plin. lib. 37.*  
*hist. Nat. C. 6.*  
*Anselmus de*  
*Boet. lib. 2. de*  
*gemmis C. 44.*  
*& 46.*

Opalus Man-  
na Iustitiæ  
famē repræ-  
sentat.

Iii 3,

Artis



Vide Bonfrer.  
in Exodum.  
Fecit enim, &c.  
Salianum in  
Annalib.

Artis labore, *Manna* de cœlo cadens, exsculptur, additurque Epigraphe: *Iustis Esurientibus*. Mirabile prorsus DEI arcanum (ut notant sacrarum litterarum Interpretes) quod solis Iustis inter Israëlitas, *Manna omnem* saporem suavitatis præbuerit; nam alioqui Injusti vociferari justè non potuissent: *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo!* Beati igitur qui esuriverunt & sitiverunt Justitiam, ipsi enim soli sunt cibo cœlesti recreati & satiati, qui cibus omnem saporem contineret. Sed & *Opalus* gemma rectè huic picturæ subjici videtur, ob tantam in ea lucis varietatem; desiderium enim Justitiæ multas variâsque virtutes complectitur. Talis *VEN. Arnestus*, qui rationes omnes vitæ suæ, id est noxas suas omnes, defectus, remedia, consilia, ut impiger mercator, libello comprehensa semper apud se gestabat, & lucra spiritualia conferebat in corde, perennitèrque famebat & sitiebat Justitiam. Oraculum suum pius *Jesvs* implevit, atque in ejus animam omnium virtutum, & omnis Justitiæ saturitatem, velut roseidum *Manna*, sine mensura *Gomor*, abundantissimè de cœlo infudit.

## RADIUS EX DESIDERIO JUSTITIÆ.

Qui sancti-  
moniam esu-  
riunt, im-  
pleantur.

**N**ihil cœleste de cœlo, sine desiderio nostro, cadit. Astra vigilantibus, & desiderantibus, & utentibus favent. Parcè *DEVS* gratiam ijs dispensat, qui gratiâ non utuntur. Gratiam omnibus parare divinum est; uti eâ, nostrum & *DEI*. Qui plus desiderat, plus habet; eadem mensura est desideriorum & gratiarum; qui esuriunt saturantur. Mira res! in vita divina & cœlesti, esurire & sitire, comedere est! nulli mensa virtutum patet, nisi famenti. *Esurientes DEVS implet bonis, fastidiosos divites seu saturos dimittit inanes*. Ipsi cibi cœlestes appeti se volunt, fugiunt nauseantem. Vitæ signum est respiratio, & animæ *DEO* implendæ præcipuum indicium, fames & sitis Justitiæ. Nam vita & spiritus ignis instar habet, qui semper in pabulo suo, si vivit, occupatur: etenim mortuus, & sine pabulo ignis, ubi reperitur? nisi forsitan in cœlo, aut apud Chemicos inclusus, & violentè ca-  
ptivus.



C. XXIV. COELESTIS BEATIT. VIII. RADII. 441

ptivus. Sanitatem animantium, cum ardentem comedunt, agnos-  
 scimus: sic animas, quæ Justitiam, ut cibum, vel ex flamma ra-  
 piunt. Verissimum illud magistrorum est: *nolle jam procedere &*  
*non proficere, idem esse quod regredi.* In hoc fluctu rerum huma-  
 narum, & rapido torrente, in defluxu universæ naturæ, atque  
 etiam *ambulatoriâ nostrâ & instabili voluntate*, omnes deorsum  
 ferimur, & projicimur: eundem locum in flumine tenere non  
 possumus, nisi contra torrentem magno labore nitamur. Itaque,  
 ut in versatili machina fodinarum, & in rota, quæ calcando ab  
 homine movetur, stare nulli conceditur, ipsum stare ruina est; &  
 si eodem in vestigio consistere cupis, progrediendum est; sic in  
 vita cœlesti ambulatur, ut profectus profectum sequatur. Imi-  
 tanda etiam mercatorum sedulitas, qui lucrum in arca non ab-  
 sccondunt, sed ex ipso lucro aliud cogitant lucrum. Ita pecunia  
 ex se sterilis, cogitur ad partem, & pecuniæ ex pecunijs genera-  
 tur. Nobilior est virtutum & gratiæ cœlestis mercatus, quia cer-  
 tior, securior, pretiosior: & quia à gratiosiore, & grato magis,  
 gratiosius proficiscitur opus. Nōrunt, quid velim, Theologi.  
 Arithmetica consulatur, ut vel in centum operibus & actibus  
 crescens in die uno gratia computetur, & numeretur.

V. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

EX GEMMA SARDA.

VEN. ARN. MISERICORS, ET PAUPERUM  
 PATER ET MATER.

*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.*

Matth. 5.

**S**arda, seu Sardius, Corneolus etiam & Carneolus appellatur à  
 Carne: nam carnis sanguinolentæ colorem præfert. Non  
 contemnendi sunt (ait doctissimus Boërius Rudolphi Medicus, Cu-  
 bicularius & Gemmarius) *Sardij Europai. Nam ad Rhenum &*  
*in Bohemia præstantes inveniuntur.* Quis autem non videt in car-  
 ne gemmæ hujus eleemosynam & misericordiæ radium appare-  
 re? *Visitans speciem tuam eleemosynis, ait Spiritus Sanctus, non*

*Smer. l. 1. c. 17.*

*Carneolus  
 misericor-  
 diæ symbo-  
 lum.*

*L. 2. de gemmâ  
 c. 17.*

*peccare*



*Wid. his Intro-  
grum.*  
*Alcaf. in 'A-  
pocalyps. l. cit.  
in Plinio,*

peccabis. Sed gemma tabula tantum est, non imago. In hac igitur gemma Sardia, quæ ad Sigilla & Imagines recipiendas optime valere dicitur, fontem exsculpe, coronatum flosculis supernè, cum haustro suo & urnula, cui fonti inscribere hæc pauca: *Quia donat, abundat.* Omnes qui de fontibus scribunt, tradunt, si fons non hauriatur, aquam amitti, ac deinde fontem omnino perire: id quod ipse ego plurimis exemplis possem legentibus approbare, ut in arcibus vetustis fieri videmus, quas fontium aquas habuisse constat, quæ nullo hauriente evanuerunt, fontibus obcæcatis. At contra ubi venæ provocantur assidue, & aquæ hauriuntur, fons æternus est. Adde etiam quod ipso motu fit clarior, ac salubrior, meritoque inscripsimus fonti: *quia donat, abundat.* Natura ipsa non sinit beneficium fontem benefaciendo perire, misericors fons misericordiam consequetur. VEN. Arnesti hæc fit effigies; cujus omnes divitiæ fuerunt in motu; donabat, & ob id ipsum donabatur & abundabat; hauriebatur, sed exhauriri non poterat: aureis denuo fluctibus divinitus, velut provocatâ cœli venâ, in fontem affluentibus.

## RADIUS MISERICORDIÆ IN PAUPERES.

*Plin. senior.**Misericordia  
æterna vitæ  
viva est.*

UNiversa amittimus morientes; virtutes, ac præcipuè misericordia manet in sæculum sæculi. Vix potest mori misericors: beatus & propè DEVS est. *DEVS est mortali juvare mortalem. Hæc est ad æternam gloriam via;* hoc cœlesti passu proceres ière Christiani. Gloriam divinitatis affectat, qui misericordiam exercet. Nec irascitur æmulo DEVS; sed hac ipsa de causa misericordes superat, quia misericordes in societatem honoris admittit. Summus felicitatis gradus est disputare posse cum DEO; disputare potest, qui dispersit, dedit pauperibus, sibi nihil reliquit: *Ubi igitur, Domine, centuplum quod promissisti? rationes accepti tui, & expensæ mei pariant, & respondent; factum est quod imperasti, nulla manet. Igitur vicimus, & quantâ tua in me benignitas opum fuit, tantâ mea in proximos; par tibi misericordiâ sum!* Sed vincit non vult DEVS, & dabit nè vincatur; imò efficiet amplius.



plius nè vinci possit, dicéque : habebis, serve bone, thesaurum in cœlo ! In hac orbis universi rapina, quis locus asservandis opibus & thesauris cœlo securior ? ibi nobis sint omnia. Hic in terris pauca habeamus, aut nulla : cum mors viatores nos aggredietur, quid eripiet ? nimirum

*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Sed neque Misericordibus in hac vita deerunt præsidia fortunarum. *Non vidi justum* (multò minùs misericordem) *derelictum* ; propter Christum pauper, fame non perijt, & desideratur exemplum. De VEN. *Arneli* misericordia, & liberalissimis elemosynis plurima in superioribus attuli, vide & imitare. Ager quò plus reddit, eò melior ; fons quò plus aquæ donare potest, pretiosior ; & homo præstantior, qui misericordiæ feracior.

## VI. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS

SMARAGDINEVS.

## VEN. ARN. CORDE MUNDISSIMUS.

*Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* Matth. 5.

**S**maragdus gemma est virore tam præcellens, ut quidquid in Sorbe viride est, si juxta statnatur, viride esse desinat, ut observat ex Plinio Ribera noster, qui gemmam hanc, ob puritatem ; S. Ioanni Evangelista comparavit. Si tangatur ab impuro, frangi affirmat Pierius ; at Petrasanctius noster non indecorum putavit, majus quiddam & secretius de Virginitate scribere, quod apud eum invenies exemplo probatum. Ex Smaragdo pretiosissima specula supina fieri tradit Plinius, & Neronem gladiatorum pugnas in Smaragdino speculo spectasse ; addit verò : *soli Smaragdi oculos implent, nec satiant.* Hanc etiam gemmam, & naturæ dotem, Bohemæ telluri à Deo tributam affirmat Anselmus. Sit igitur Corculi figurâ Smaragdus, in cujus medio speculi politura, in quo ipso speculo reluceat è cœlo formosissima Solis imago, adscribe imagini : *Mundi corde vident.* Quia enim Smaragdus mundissima & purissima gemma est, si insuper specularis fiat, optimè & innoxie in ea Sol videtur. Ejusmodi oculos habebat

Plin. lib. 37<sup>o</sup>  
Cap. 2.  
Ribera in Apocalypf.  
Pier. lib. 47<sup>o</sup>  
hieroglyph.  
Petrasanctius  
l. 3. de symbolis, C. 4.  
Plin. l. cit.  
Smaragdus  
Castimonie  
symbolum.  
Anselm. Boët.  
l. 2. de gemmis  
C. 56. C. 60.  
C. 61.

Kkk

VEN.



VEN. Præful *Arnestus*, ut pridem probavi, & jam in divinitatis conspectum admissus, quid aliud agat, quàm quod DEVS est intueri? Ut *Aquila pulli* ad Solem, Matris ungue suspensi, contemplatur: Speculi natura est repræsentare; & beatæ animæ, DEVM intelligere & amare.

## RADIUS PURITATIS ET MUNDITIÆ CORDIS.

Speculum  
Conscientia  
nostra est,

Apud Malde-  
natum in C. 10  
Matth.

CORpora quæ lævia & polita sunt, rerum Creatarum effigies exhibent, at animus purus & innocens Creatoris imaginem optimè reddit. Non putandum est animum nostrum oculis carere: & quamvis careret, corde tamen *DEVS videtur*, ut ex hac beatitudine Evangelica argumentatur *Augustinus*. Purus & divinus animus sit oportet, qui ad DEVM contemplandum cupit ascendere, nam DEVS nonnisi à simili videtur. *DEVS totus est animus, totus oculus, totus animi, totus sui*; nihil in eo nisi radiosum, nihil illustre reperies. Et quia videtur cum lumine, ad recipiendas divinas imagines necessaria est puritas cordis; & intellectus & voluntas gratiâ poliuntur, ut lumen recipiant. Sinè navo, sinè macula speculum facimus; cur in præparanda ad Visionem DEI anima sumus segniores? innubis semper in Conscientia, & virgineus sit dies. Animus est ut pupilla, quæ nunquam tangitur, nisi lædatur. Speculum ideo videt, quia purum, læve, & mundum est. Non dubito, ut vulneribus corpora, sic animum criminibus sauciari. His imago divinitatis aut corrumpitur, aut aboletur; inurit has maculas scelus, pœnitentia corrigit, & emundat. Unum inter hæc peccantibus solatium, quòd etiam casuræ & anguli gemmarum sæpe claritatem excitent, neq; sinant, ut *Plinius* loquitur, *colores surdescere*. Pretiosiores gemmæ à sectionibus fiunt, & corda affricta pulvere, dolore contrita & lecta, in oculis divinitatis sunt gratiora. Quoties pœnitentiâ politus homo sese convertit ad DEVM, DEVS faciem suam convertit ad hominem; nec DEVS potest amari toto & mundo corde, quin redamet: *convertimini, & ego convertar*. Sunt igitur verè *Beati mundo corde, quoniam DEVM ipsi videbunt*.

Zachar. 1.



VII. COELESTIS BEATITUDINIS RADIUS  
EX IASPIDE GEMMA.  
VEN. ARNESTUS PACIFICUS.*Beati pacifici, quoniam filij DEI vocabuntur. Matth. 5.*

**J**aspis gemma magnæ apud Veteres authoritatis, omne genus coloris recipit. Sed quò Smaragdo vicinior, eò nobilior. In Bohemia, ait Rudolphi Cæsaris Gemmarius, *collegi Iaspides rubras, sanguineas, purpureas, albas, variisq; coloribus intermixtas, pulcherrimas, mirabilisq; Natura artificio compositas. Tantâ in Bohemia magnitudine reperitur Iaspis, ut magna Statua ex ea elaborari possint.* Hæc ille. Gestabatur olim apud Veteres amuleti loco Iaspis; ad sigilla aptissima est, & stomachi doloribus medetur, ut ex Galeno probavit Alcasar. Gratiam & venustatem significat, amicitias conciliat, & Pacem, ut habet Pierius; ideòque muri cœlestis Solymæ, quæ est *Visio Pacis, ex Iaspide* describuntur. Hæc igitur gemma pacis, tabulæ loco nobis erit. In Iaspide sculpatur *Mons Oliveti*, seu olearum, oleis confitus, & duo vestigia Christi, qui cœlum inter Olivas ascendit. Inscribe huic Imagini: *Hæc iter ad Superos.* Aut si placeat: *In viam Pacis.* Qui enim ad Superos contendit ascendere post Christum, inter Olivæ ramos ascendat; *monstrat. Oliva viam.* Pacificus sit, pacem colat, ut sit *filius DEI, qui Solem suum oriri facit, super bonos & malos.* Neque illud moveat, quòd in gemma Iaspide vestigia notantur: nam Iaspis, non in terræ venis, ut cæteræ gemmæ, sed in summa tellure, & pulvere viarum invenitur. Aptissima item est Iaspis oleis & nemoribus representandis. *Rudolfus II. Cæsar* in scrinio suo mensæ folium habebat, seu tabulam, in qua Iaspides tantâ arte conjunxerat artifex, ut jurares te picturam videre, & nubes, arbores, flumina, villas, montiumque ambitus agnosceres, sed nullâ interim conjunctionis lineâ apparente, vel, si appareret, ad picturam faciente. Hoc opus pretiosissimum, & multis aureorum millibus constans, plurimis annis fuit elaboratum *Praga.* Verè admirandum, quod & Naturæ artificio, & Artificis mira-

*Sennert. l. 1. c. 10.  
Alcasar. in  
Apoc. in C. 27.  
v. 18.  
Anselm. Boëtii  
l. 2. de gemmis  
C. 100. & iterum  
C. 105. 106. 109.  
Plin. lib. 17.  
C. 9.*

*Alcas. l. 1. c. 10.**Pier. l. 1. c. 41.  
hierog.**In Isaiam &  
Apocal.**Iaspis Pacis  
symbolum.**Alcas. l. 1. c. 10.*



L. 2. de gemmis  
c. 103.

Vide supra l. 3.  
c. 4.

Pax Regno-  
rum est pu-  
pilla.

bilem solertiam ostentabat, *inter miracula Mundi* (verba sunt Anselmi Boëtij Medici Rudolfini) *recenseri potuit, & cum Temple Diana Ephesæ non injuriâ comparari.* Sed ad significatum Imaginis redeamus. Hanc Pacis virtutem unice dilexit *Arnestus*, meritoque *Pacis Radio, & Iaspidis Iride* cingetur in cœlis. Quoties ille Pacem inter Reges, ut antè probavi, conciliavit! quoties *Carolo Cesari Pacificæ ramum prætendit Olive?* Erat velut *Olive fructifera in domo Domini*, quæ etiam ex ejus tumulo sapius stillavit. Hoc ille Pacis itinere, quo DEI Filius olim evasit in cœlum, ut *Columba Noë ramum Olive*, pacato, imbelli, & innocenti ore, deportans.

## RADIUS PACIS.

**P***ax optima rerum, quas homini vidisse datur, velut Regni Pupilla custodienda Principibus est, quia sæpe pulveris exigui jactu turbatur. Ambitio prima est, quæ pede spargit arenam, & velut in extrema olim fame clamat in arena & Circo: Humana carni pretium impone! Humanis illa hostijs perlitare desiderat. Nec bellorum illi causæ procûl, ingeniosa est. Sed etiam in bello & post bellum (quis credat?) satis citò causas se putat inventuram. Qui Turcicum Opium semel bibere, nil nisi incendia (dum vino incalescunt) & sanguinem mente vident. Tales cavendi, & primò agnoscendi sunt, nè beatos Principes ad sanguinis dulcedinem degustandam erudiant. Nam isti sine bello vivere inhonorum existimant. Statum sibi quendam fecere militiam, vexilla hæreditatem: qui bellum turpiter cauponantur, pacem, si cœlo descenderet, cuperent occidere. Quando igitur regnabit Princeps, qui semper militat? ut ad cœli Beatitudinem securitas, sic plerumque ad Beatitudinem Regni, Pax desideratur. Cogi ad bellum etiam bonus Princeps potest, optimus verò efficit ut, cogi non possit. Quis semper paratum invadet? Pacem maximè amat, qui Pacem armis custodit. Arma innoxia sunt in Pace, eruantur in bello: nam in bello non Princeps, sed gladius Princeps; gladius improbis, etiam DEVS est. Inter ea clamat sanguis in cœlum; ferro & igni Patria dividitur, cum propè bellum geritur;*



C. XXIV. COELESTIS BEATIT. VIII. RADII. 447

ritur; si procū, pecunia migrat, & quis custodiet ipsos custodes? saepe nec vincere Principi expedit, victorijs aliquando Regna ceciderunt. Pauca sapienti. O! dirum igitur belli incendium, quod tanto Regnorum periculo constat; quod tot pretijs sustentatur; ac denique quod solo hominum sanguine debet extinguī! *Beati Pacifici!*

VIII. COELESTIS BEATITVDINIS RADIVS

EX ADAMANTE.

VEN. ARN. PROPTER JUSTITIAM PATITVR.

*Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Matth. 5.*

**A** *Damantem* lapidem Fortitudinis & invictæ Patientiæ symbolum haberi, notius propè est, quàm ut debeat scribi. Nam licet ferro & face bellum *Adamanti* indixeris, nihil timet. Lædit ipse potiùs patientiâ, & fatigat percussorem. *Adamantes* plerosque à natura, Tribulæ speciem referre peritissimus, ut apparet, gemmarum *Alcasar* asseruit, quasi ipsa tribulatio & patientia in *Adamantis* habitum & constantiam migrare voluisset. Sed illud vulgò ignotum, quod nostri Emblematis figura erit. *Adamantem unguibus humanis cedere*, & qui malleis frangi & conteri non potest, eundem unguibus aduncis artificum, nullo negotio perdomari & poliri. *Anselmi Boërij*, *Rudolfi Cæsaris Medici*, qui expertus est, verba accipe: *Adamas*, inquit, *unguibus humanis, absq; alicujus instrumenti ope, peculiari artificio teritur.* Hoc igitur cum ita se habeat, pinge *Adamantem*, in quo digiti humani *Vnguis* Coronam ex Sole & Stellis exsculpat, adjice Epigraphen: *Perfectus ad Vnguem.*

*Pierius lib. 40 hieroglyph. Adamas fortitudinis symbolum.*

*In C. 8. Apoc.*

*Tomo 3. symbolorum. simbolo penultimo.*

*Vnguem* atrocis calumniæ symbolum semper habuit anti-  
quitas, hinc vetus proverbium, quo *unguem in ulcere molestum*  
vexatorem vocamus, & persecutorem.

*Petrus sanct. L. 3. de symbol. C. 11.*

Quanta pro Justitia *VEN. Arnestus* tolerarit, suo dictum est loco. At in pectore summi Sacerdotis *Adamas* lucens (ut habet *Pierius*) animum ejus invictum demonstrabat. In Patientia

*Pierius lib. 40 hieroglyph.*



Tom. 3. Symbol.  
in suis.

Anselmus de  
Bodis 1. 2. de:

solatium maximum est conscientiae bonitas. *Adamas unicus*, ait Boëtius, *inter gemmas sine colore, pellucidus, aqua instar*, bonae conscientiae radios repraesentat, cujus testimonio Patientia gloriatur. Sed mirabilior illa *Ruei de Adamante narratio est*: Adamantem videlicet unum, alium gignere aliquando, & *Dominam Heverensem*, è *Lucemburgorū illustri genere*, duos habuisse hereditarios *Adamantes*, qui alios crebro producerent, ut quicumq; statis temporibus cor intueretur, congenerem sibi prolem enixos videret. Id si ita est, addit Boëtius, *non minimum est miraculum Naturae*. Non modò igitur lucet invictus *Adamas*, sed etiam parit in arca clausus, quod nulli gemmae natura fortasse concessit. Patientia quoq; gemmas tot gignit, ut in Coronam Regni caelestis sufficiant. Macte animo! *durate*, quicumque persecutionem pro Justitia sustinetis! haec patientia vobis duplicabitur ad Coronam; unguibus humanis satis inhumanè fricamini, sed vestrum erit *Regnum Calorum!* unguis ille Coronam vobis caelestem exsculpet.

#### RADIUS PATIENTIAE

Patientiae  
praemia.

Qui pati non vult, recusat coronari. Aliae gemmarum tursionibus, & pressuris, & flammis, *Adamas* unguibus exercetur, politur, & contumelijs coronam acquirit. Coronae spes vincit omne tormentum. Ego tamen ausim dicere: plus prope esse pati, quam praemiari; sic causa effectum, Gratia Gloriam, virtus praemium praestantia vincit. *Fortuna & Hercules* olim maledictis colebantur, hoc exemplo hodie magni Viri coluntur. Patiendo ab unguibus perficiuntur ad unguem. Qui maledictis impetitur, honoratur. Humilitas Christiano & contemptus, post Christi humilitatem, & post DEVM contentum, gloriae loco successit. *Oleum autem peccatoris non impinguet Caput meum!* Justus in vexatione positus, si inhonoratur à Mundo, honoratur à Christo: cum pro sancto ejus nomine pati etiam promeretur. *Triti-*

Lib. de Joseph.  
S. 11.

*cum* (ait de Josephi Fratibus D. Ambrosius) *multis datur, scyphus apud unum Benjamin servatur*. Sentit se à DEO aspici, qui sentit affligi. Illi paratur Corona, cujus expectatur victoria.

Nul.



Nullum Deo pulchrius spectaculum, quàm virtus in adversis erecta, & constans sibi; quam nec Deus ipse (cujus gratiâ cœlesti nititur) probando dejecit. Vir in calamitate fortis Regnum sibi ipse acquirit Virtutis, Virtutis Rex est; sed Regnum Cœlorum, postea habebit à Christo.

## ARÆ VENER. ARNESTI.

**A**bsolvi tandem felicissimi *Præsulis Arneſti* Beatitudinem, omnium humanorum divinorumque bonorum aggregatione constantem, eamque gemmarum radijs adumbravi. Quid aliud, oro, superest, quàm ut *Aram* statuam privatus ego, quam videlicet profanus hic calamus, & penna levis potest lineare? quid aptius agam, quàm, ut alij in terrarum finibus, sic ego in exitu mei hujus laboris erigam Trophæum? Ita apud *Ptolemæum Aras Alexandri, Aras Pompeij, Aras Cæsaris Iulij*, aliorumque Ducum legimus, & videmus: nec magno nuper sua defuit *Ara Maroni*. *Ara* *Ara Maroni in Poetica lib. ult. Scaligeri.* *Tua VEN. Arneſte Præsul* gemmis constitit tota. *Omnis lapis pretiosus operimentum Tuum!* Securus jam tui regnas in Cœlo, & felicitatem Tuam, non ut nos cogitationis aspectu, sed sensu, & infiniti boni dulcissimâ

po-



possessione metiris ! Quis verò jam radium illum æternæ fælicitatis , & Beatitudinis Tuæ describat , quem à Divinitate cœlestis Tua Gloria mutuatur ? Si septies Solem vincunt Corpora Beatorum ; quânam luce cœlestes animæ fulgebunt ? *nec oculus vidit , nec auris audiuit , nec in cor hominis ascendit !* Unum & postremum hoc Te , afflicta bellis , strata Consilij , orat Patria , ut ( quod in medijs Triumphis Victori Roma clamabat ) *hominem te , & nostrum esse memineris !* Redijt postliminiò in Patriam Pietas , redijt Religio , Fides , Justitia , cæteræq; Virtutes ; cur Fælicitas , Opulentia , aliæq; Regnorum Beatitudines redire cunctantur , aut vetantur ? DEVS cuique faciat , ut bene vel malè meretur ! Sed nos Tuum illud Tibi , quod canere instituisti , repetimus : *nè sine nos perire ! nos & futuros tuere !*

*Vide Lib. 2.  
C. 14.*

O Bohemia ! unus Arnesto Principi Tuo Radius deest , Tuorum scilicet seculorum ! Leva Caput tuum , & ut appropinquet fælicitas Tua , Arnestum Tuum , Præsulem & Parentem in terris , nunc in cœlis Patrum , venerare !



INDEX